Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Nicolaus Glaser

Procerum Mundi, Selectißima Castrensium Epistolarum Centuria : Per Summa Imperia & regna ad nostram prope aetatem continuata: Historico-Politicis Chronico-polemicis notarum floribus per Coronas illustrata

In usum & admirationem tyronum & veteranorum nunc primum edita / Auth: M. Nicolao Glasero S. Verd. R. ..., Hamburgi: Typis Wernerianis, 1634

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769099203

Druck Freier Zugang



Ep. Prol 241 p'tu

16. 8.

7 I a

7 I a 3134

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn769099203/phys_0002
DFG

PROCERUM MUNDI,
Selectissima
CASTRENSIUM EPISTOLARUM CENTURIA:
PER SUMMA IMPERIA & regna ad nostram propè ætatem continuata:
HISTORICO-POLITICIS
Chronico-polemicis notarum floribus per Coronas illustrata:
In usum & admirationem tyronum & veteranorum nunc primùm edita:
Auth:
M. NICOLAO GLASERO S. Verd. R. C. V. pro temp: Exule.

HAMBURGI,
Typis VVERNERIANIS,
ANNO CIↃ. IↃC. XXXIV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769099203/phys_0005
DFG

In

Castrenses Heroum Epistolas

Ab optimo Sene

Dn. M. NICOLAO GLASERO

Scholæ Verdensis Rectore, p.t. Exule,

editas & illustratas.

HEroum repetis Castrensia scripta Glasere,
Et doctâ, pingis bella vetusta, manu.
O si pacificos posses revocare triumphos!
Instar ad Augusti, næ, mihi crede, fores.
Interea Veterum lustrans Mavortia castra,
Musarum egregiè castra polita juvas.

£.

JOHANN: MULLER, S. S.
Th. L. & Pastor Petr.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

INCLYTO

AMPLISS: NOBILISSIMÆ

GAMBRIVIORUM

REIPUB.

SENATUI POPVLOQVE,

Pacem, Salutem,

Observantiam.

Magnifici,
Nobiliſſimi, Conſultiſſ. Clariſſimi
DOMINI

CONSULES, SYNDICI, SENATORES,

SECRETARII:

Eximij, Honoratiſſ. Integerrimi, Spectatiſſ.
DOMINI

DUODECIMVIRI, Eccl. EPHORI, OCTOVIRI, PATRICII:

PATRIÆ PATRES ET OPTIMATES optimi;
Evergetæ & Patroni
obſervandiſſimi.

PRæſtantiſſimam illam virtutem, quæ nexu & amplexu ſuo Suaviſſimo reliquas omnes complectitur, Heſpero & Lucifero admirabiliorem eſſe, præclarè admodùm in Niconachicis

chicis Stagirites asserit Philoso-
phus. Filiam hujus pulcherrimam
esse Tranquillitatem, Urbes maxi-
mas conservantem; Consiliorum
& bellorum excellentissimas claves
habentem, Lyricorum Poetarũ sa-
pientissimus in Pythiis affirmat Pin-
darus. Vero verius: *Pax optima rerũ,*
Quas homini novisse datum est; Pax
una triumphis
Innumeris potior: de bello Punico
l. 11. exclamat Silius Italicus. Pacis
enim nomine quid jucundius?
quid dulcius? quid amabilius? Pa-
ce re ipsâ quid præstantius? quid u-
tilius? quid Salubrius? Pace agri
florent & Urbes: Pace res privatæ
vigent, augentur publicæ; pace re-
gna, imperia, constituuntur, con-
servantur. Hinc iniquissimam pa-
cem justissimo bello præferendam:
hosti quo fugiat argento pontem,

esse sternendum: bella eum in finem suscipienda & gerenda esse, ut in pace vivamus, prudentissimi mortalium tradiderunt.

Quantum verò malorum & ærumnarum: quantum calamitatis & turbarum: quantum infelicitatis & miseriarum Bella non bella: Bella horrida bella, secum ferant; non tantum historicâ fide & scientiâ instituti; sed turbulentissimis his armorum tempestatibus ac procellis acti & fracti: inter tot agrorum & urbium devastationes: tot principatuum & provinciarum direptiones: tot literarum & sacrorum; tot Rerumpub. & Imperiorum eversiones; per cædes & rapinas; per incendia & naufragia; per exilia & exitia elapsi; experientiâ tristissimâ, afflictissimâ edocti, verissimè testari & demonstrare possunt.

Cum

Cum verò bella, ut Hunnorum ille Rex immaniſſimus ſibi hoc nomine gratulabatur, nihil ſint aliud quàm juſtiſſimæ iræ & vindictæ divinę ob hominum enormia delicta atq; ſcelera, flagella; miſerrimis & ærumnoſiſſimis his etiam Martis turbis & furoribus operæ pretium eſſe videtur, à piis & cordatis, tàm communis quàm propriæ ſalutis ſtudioſis & amantibus, illorū, cùm veterum tùm recentiorum cauſas & progreſſus, ſucceſſus & eventus, ſingulari attentione in conſpectu haberi; piè & prudenter perpendi & conſiderari; ut propitio Numine conſilia diſponente, ab ijs, qui in tranquillo divinâ protectione conſtituti, facilius vitari: ab implicitis commodius expediri: ab oppreſſis æquiori animo tolerari queant. Ad hanc rem plurimum facere

exempla ex vetuſtate petita & cum præſentibus collata, non eſt quod dubitemus. Eundem in finem ante aliquot annos per exilij mei otium, Centuriam quandam Caſttenſium Epiſtolarum, non ſolum per ſumma Perſarum, Græcorum & Romanorum Imperia; Sed etiam per Gothorum, Hunnorum, Longobardorum, Sacri belli Argonautarum & Turcarum dominationes & regna continuatarum, collegi, & nũc amiciſſimorum quorundam conſilio & authoritate typis exprimi curavi. Hos verò quantuloscunq; labores, Patriæ Patres inclyti, Proceres & optimates honoratiſſimi, veſtro nomini & patrocinio clariſſimo inſcribendos & ſubmittendos putavi; quo animi mei grati, beneficiorũq;, in laudatiſſima hac veſtra Repub. honorificè mihi exhibitorum, me-

moris,

moris, publicū aliquod indicium & testimoniū extaret. Hanc igitur opellam, licet tenuissimam, ut serenâ fronte accipere; nobilissimæ Amplitudinis vestræ clypeo adversus calumniam & malitiam defendere; humanissimoq; vestro favore me in posterum quoq; fovere dignemini, eâ quâ possum observantiâ, etiam atq; etiam rogo. Pluribus hoc à Magnificentia vestra consultissima, Integritate spectatissima, verbis peterem, nisi quæ animorum vestrorum in Deum sit pietas: qui amor, quod studium in bonas literas: quæ erga optimarum disciplinarū cultores humanitas: quæ in naufragos & afflictos bonitas: quæ in omnes patrocinio vestro & ope opus habentes virtus & benignitas, penitus mihi cognitum & perspectum haberem.

DEum

DEum Ter. Opt. Max. Pacis & Armorum arbitrum ac moderatorem potentissimum, indefesso studio votisq; ardentissimis in posterum quoq; orabo & venerabor, ut in hac tristissima rerum omnium perturbatione, ab inclytæ Reipub. focis & aris sanctissimis, omnes armorum & malorum pestes ac flagella clementissimè avertat: mœnia in nominis sui gloriâ, Ecclesiæ ac literarum publicam salutem; in oppressorum ex exulantium afflictissimorum perfugium & protectionem, sarta, tecta, tranquilla & florentissima, ad seram posteritatem potentissimè tueatur & conservet. Valete Patriæ Patres amplissimi, Proceres & Optimates optimi, spectatissimi, honoratissimi, longùm felicissimè. Hamb. Id. Augusti augustissimis. Aõ. cIↃ. IↃc. XXXIV.

Inclytæ & nobilissimæ vestræ Amplitudinis

Obseqventissimus,
Observandissimus,

M. NICOLAUS GLASERUS.

D. O. M.

Ad Benv. & Cand. Lectorem.

PROLEGOMENA.

Lacedæmonij, Benev. & candide Lect. Græcorum quondam prudentißimi, fortißimi, potentißimi; in mores & labores; in ſtudia & officia; in negotia & otia omnemq; adeò civium ſuorum vitam, accuratißimè inquirebant. Quoscunq; enim inertiâ vel otio diſſolutos; nulli induſtriæ liberali aut diſciplinæ deditos; nulli ingenuæ operæ aut labori addictos offendebant: quibus vel rem ſuam familiarem ſtabilirent; vel communi hominum ſaluti prodeſſent; vel Rempub. ipſam in parte ſibi commiſ-

sa juvarent; Illos, ut inutilia terræ pondera & sentinam: ut corupte-lam, perniciem atq; pestem, suâ ci-vitate, vitâq; ipsâ indignos exisi-mabant. Constanti igitur volunta-te studioq; in id perpetuo incumbe-bant, ut primæ ætatis florem & mo-destiam industriæ laudibus inflam-marent: juventutis robur & ardo-rem honestis laboribus ad virtutem exercerent: virorum virtutem, moderatæ fortitudinis præmijs ad gloriam animarent: senectutis do-micilium prudentiæ ac justitiæ mu-nimentis augustißimum haberent. Romani viri cordatißimi, virtutis ac gloriæ Græcarum civitatum æ-muli laudatißimi, decem quon-

dam

dam ablegaverant viros, qui leges à Solone Athenienſibus, à Lycurgo Lacedæmonijs traditas, inter alias potiſſimùm ex Græcia in Italiam transportarent, quo illarum ductu & auſpicijs ſuam quoq; Rempub. florentiſſimam & feliciſſimam efficerent. Quanto autem ſuffragio & ſtudio, hoc Lacedæmoniorum de labore, officio & diſciplina inſtitutum amplexi fuerint: quanto ſucceſſu & felicitate ijsdem artibus ſuum imperium ex parvis initijs maximum effecerint: quomodo hoc corruptis civitatis moribus à ſummo rerum faſtigio ad ima tandem ſubſellia deſcenderit; ex pulcherrimoq; orbis imperio factum ſit fœdiſſimũ,

cum L. Floro in senatu historico inter Latinos princeps Salustius egregiâ Sententiarum gravitate potissimùm exposuit. Cum itaq; Cato ille Censoriâ dignitate & gravitate magnus, non tantum rerum gestarũ & negotij, sed etiam otij, Justino teste, rationem bonis viris reddendam esse censuerit; mearum quoq; partium fore duxi; pro viribus in id incumbere, quo & mei otij, licet ingratissimi, in quod à publico literarum officio ab Allaris & Visurgis confluente, armorum tempestate tristissimâ trans Albim rejectus eram, apud Mæcenates & patronos observandissimos, quorum liberalitate & munificentiâ in turbis hisce turbu-

turbulentissimis sublevabar, ratio saltem constaret. Animum igitur in varias partes huc illuc impellens, quo me tum temporis minus otiosum fuisse, cum maximè otiosus viderer, ostenderē; incidi in Sylvam ac materiam quandam, literarum varietate rerumq; præstantissimarum copiâ amœnissimam, ex quarū lepore, flore & odore fragantissimo, ea mihi excerpenda censebam, quæ nec à Martiali hac tempestate aliena, nec à Minervæ & Musarum castris longè remota esse viderentur. Castrensium itaq; Epistolarū Centuriam, tàm ex Græcorum quàm Latinorum Historijs & Annalibus deductā, hinc inde collegi, in ordinē

temporis potißimùm habitâ ratione digeßi, notarumq; floribꝰ ex probatißimis autoribus illuſtravi. In argumenti verò hujus congerie, tàm eorũ quæ ad eloquentiam quàm ad ſapientiam conferrent, delectum quendam habẽdum eſſe arbitrabar. Tales igitur maxima ex parte ſelegi Epiſtolas, quæ dicendi charactere rem purum, elegantem & plerumq; λαχωνίζοντα referent: quarumq; materia lectorem ad rerum præſtãtißimarum tàm moralium & politicarũ, quàm polemicarum contemplationem invitarent: Illuſtribus heroicorum factorum exemplis in jucundißimam admirationem abriperent: virtutum excellentißimarum

marum varietate disciplinæ militaris scientiam, civilis doctrinæ atq; vitæ prudentiam augerent; eundēq; Lectorem nō tàm commotiorē quàm doctiorem & meliorem efficerent.

Ex ordinis observatione, hoc sibi Lector humanissimus lucelli comparabit, ut quasi aliud agendo continuâ ferè temporis serie universalis historiæ generalem quandam ideā ob oculos ponat sibiq; familiarissimam reddàt. A Cyro enim Monarcha (ante illum enim in hoc genere nihil occurrebat) res Persarum & Græcorum usq; ad Alexandrum Magnum levi quasi brachio perstringuntur: Ab Alexandro res Romanorum à Regio & Consulari

ad C. Julij Cæsaris imperium & Monarchiam tertiam continuantur: A. C. Julio ad Gothorum & Longobardorum in Italia regnum fit progressus: hinc ad Christianorum Argonautarum in terram sanctam expeditionem: hinc ad Turcarum res gestas usq; ad majorum nostramq; ferè ætatem series illa deducitur. In notis eò potissimum digitum esse intendendum putavi, ut Epistolis suis Coronis in Decurias distinctis, ipsæ sententiarum & historiarum luce illustrarentur: Chronologiæ observatione facilius innotescerent: ad fontes ipsos tyronibus præcipuè aditus, de hisq; ulterius cogitandi ansa & occasio suppedita-

peditaretur. In illis verò si quid fortasse minus nervosum ac elaboratum occurrat, in quibus ipsemet non parum desidero; id vel temporis injuriæ ac miseriæ; vel distractæ librorum supellectilis, in hisce armorum turbis, penuriæ; vel ingenij hac tempestate exagitati & turbati imbecillitati asscribatur, humanissimè & quâ par est observantiâ, peramanter rogo.

Etsi verò hac & alia exulceratissimis & periculosissimis hisce temporibus ad edendũ ea, animum diu suspensum tenuerunt: Reverendorum tamen, Clarissimorum Consultissimorumq; virorum autoritas me in tali qualicunq; proposito confirmavit. Quan-

Quanquam enim nulla salus bello; nec quicquam belli inest bello; bellumq; potius à belluis quàm à bello dictum videtur doctissimis: dubiũ tamen non est, quin exiguum hoc opusculum, ob rerum gravissimarũ varietatem & copiam multum Lectori admirationis, jucunditatis & utilitatis sit allaturum. Quid enim ingenio liberali & ad Rempub. nato tot præclaris excellentissimisq; Heroum factis: tot Rerumpub. tot Imperiorum vicissitudine & mutationibus admirabilius? Quid tot illustrium virtutũ exemplorum? quid tot documentorũ, casuum & periculorum? quid tot lubricæ & inconstantis fortunæ experimen-

rumentorum contemplatione, ingenuo homine jucundius? Quid homini Christiano quàm bellorũ causas intueri antiquius? quid armorum malo oppressis: rapinarum sævitiâ exhaustis: ferro & flammis ad extrema redactis, quàm aliorum miserias & calamitates majores cum suis conferre, utilius?

Ut verò ex præteritis futura: ex præsentibus impendentia: ex aliorum periculis nostra æstimare: justissimam divini Numinis iram vitæ emendatione placare; insolentem victoriam toleranti animo perferre: auxilio deficiente humano divinum constanter expectare & obtinere possimus: moderatorem ar-

armorum & pacis ardentibus votis ac precibus piè & devotissimè indesinenter veneremur & oremus. Vale Lector optime, meis laboribus fave, ijsq; si videtur, fruere felicissimè.

T.

M. NICOL: GLASERUS.

CLARISSIMO VIRO,

M. NICOLAO GLASERO S. V. R. Collegæ conjunctissimo; amico certissimo; compatri carissimo, Castrensium Epistolarum Centuriam edenti.

Dum inquietis læta laboribus
Bellona, justo Vindice Numine,
Dum vasta devastando cunctas
Terrigenarum inimicat oras:

Dum

Dum quisq; acerbi pondera seculi
Mentis severo examine pensitans;
Metumq; sentit incubantem
Civibus & miseris colonis;
Dum quisq; nostrûm præcipiti fugâ
Iter paramus, dum prece supplice
Securitatis certum asylum
Quærimus exitium timentes;
Sat tutus umbra substabili Patrum
(Quos sempiternis mœnia laudibus
Gambriviorum prosequuntur
Egregios Patriæ Parentes)
Tu delitescis, Sollicitudinis
Nostræq; cladis non ita particeps
Glasere, nostrarum Camœnarum
Et Pater & decus & Patrone.
Sed non, supinâ lentus inertiâ,
Periculosi temporis horulas,
Exors penatum propriorum,
Turpiter aut male collocasti:
Quod luce clarâ clarius arguunt
Tot Martiales, non sine publico
Plausu virorum doctiorum,
Literulæ modò publicatæ.
Quas diva nuper dum auspiciis tuis
Prodisse tandem Pallas inaudijt,

Mavortis

Mavortis & Musarum alumnis
Plus vice simplice gratulata,
GLASERE, dixit, pergito sedulò
Seruire nostris moribus; abditos
Antiquitatis sic recessus
Eximio reserabis ausu.
Sic te perennis fama volucribus
Alis honorum ad culmina proueher:
Sic te omnium porrò malorum
Incolumem eripies periclis:
Sic æuiternæ laudis adorea
Vtriq; gratum Palladi te manet;
Tibi inuidendæ sic coronæ
Perpetuum decus arrogabis.

HENRICUS DORNEMANNUS
Cath. Ec. Verd. P.
And. C.

CENTURIÆ

Castrensium Epistolarum,

PRIMA CORONA.

I.

HARPAGUS MEDUS CYRO PERSÆ.

TYre Cambysis fili, Deorum immortalium cura; (neque enim aliâ ratione fortuna te eò amplitudinis adduxisset) jam appetit tempus ulciscendi Astyagis, qui tibi necem paraverat. Quod ad ipsum pertinet perieras: at Deorum meoq; beneficio adhuc vivis. Nec dubito quin intellexeris, quas injurias ob inco-

lumitatem tuam expertus indignè fuerim. At si me audieris universum Astyagis imperium occupabis: hujus egregij consilij authores & fautores habes regni optimos, quorum etiam nomina asscribere licuit. Tu modo pro tua prudentia quod supereſt conficies. Vale.

NOTÆ.

„ DEum admirando consilio regna „ transferre, nec ullâ malitiâ, astutiâ „ aut quâvis ratione aliâ, providentiæ il- „ lius dispositionem impediri posse, in „ Cyro & Romulo infinitisq; aliis illustria „ exempla habemus. Verissimum enim „ est illud Mardonij apud Herodotum: „ Quod Deus decrevit non potest ab ho- „ minibus mutari. De Assyriorum verò „ imperio à Sardanopalo ad Medos trans- „ lato: De Astyagis in Medorum regno „ successione: de somnio illius ejusq; in- „ terpretatione: de Cyri expositione & „ educatione: de Harpagi pœna vindi-

ctæq; illius ſtudio: de ejus ad Cyrum exenterato lepori inſertis literis: de Cyri contra Aſtygagem expeditione & victoria, legantur Hiſtorici; Herodotus lib. 1. Xenophon in Cyri Pædia lib. 7. Juſtinus lib. 1. Captus fuit Aſtyages à Cyro anno Mundi 3413. ante C.N. 558. jubilæo mundi, authore Bucholzero, 68. ſuoq; exemplo, non facienda eſſe « mala ut eveniant bona, nec temerario « affectu regni proceres injuriâ afficiendos eſſe, comprobavit. Epiſtolam hanc « vide apud Herod. lib. 1. «

II.

APOLLONIUS SARDIANIS.

CRœſus amiſit Lydorum imperium Halym transgreſſus: vivus captus eſt; pedicis revinctus eſt; in pyram ſublatus eſt: ignen videns accenſum atq; in altum ſeſe vibrantem, vivus evaſit. Quid? poſtea idem iſte vivus ex majoribus veſtris & veſter Rex,

qui tàm multa passus est, præter meritum; ubi communi mensâ cum hoste usus est, sedulus illi consiliarius fuit & amicus fidelis. Vobis contra fœdera nulla, placatio nulla; quinimò prophana omnia; omnia impia: adversus parentes liberos, amicos, cognatos, tribules, inimicos vos exhibetis: idq; neq; ipsi Halym transgressi, neq; aliundè quenquam hominum recipientes, & vobis scilicet terra fœcunda est? injusta est terra.

NOTÆ.

SArdianorum Urbem Lydiæ metropolim, Crœsi interceſſione apud Cyrum Regem optimùm & laudatissimum, hisce verbis servatam fuisse, præter Herodotum Xenophon refert Cyri pæd. lib. 7. Si inquit, diripueris urbem, artes quoq; quas bonorum fontes esse ajunt, corrumpentur. De Crœsi verò contra

contra Cyrum bello; quomodo ab eo captus, rogo impositus, Solonisq́; compellatione iteratâ servatus fuerit, legatur apud Herodotum lib. 1. Plutarchum in vita Solonis. Quod igitur Sardiani à Regis & majorum suorũ virtute longissimè recesserint, exprobrat eis Apollonius Philosophus in hac Epistola, injustamq́; terram esse, quæ tantâ ubertate omnia illis proferat, affirmat.

Apud Xenophontem de Cyri pædia lib. 7. tale oraculum sibi ab Apolline redditum fuisse, Crœsus ipse testatur: Εαυτὸν γινώσκων εὐδαίμων Κρόισε περάσεις. Crœse beat9 eris bene si te noveris ipse. Notum est & alterum: Κρόισος ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν διαλύσει: Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opũ vim. Sed hoc Apollinis oraculo deceptus, cum regnorum opes expectaret suas, ut M. Tullius de Divinat: inquit, profligavit. Nota sunt & illa de Solone ex Ovid. lib. 3. Metamorph:

Sed ultima semper:

„ *Expectanda dies homini est, dicig; beatus*
„ *Ante obitum nemo supremaq; funera debet.*

Sic & juvenalis Sat: 10. huc respexit:

„ *Festino ad nostros & regem transeo Ponti,*
„ *Et Crœsum quem vox justi facunda Solonis*
„ *Respicere ad longæ jussit spatia ultima vitæ.*

Captus fuit à Cyro Crœsus anno mundi 3426. ante C. N. 456. Epistolarum fasciculum Apollonij Philosophi vide in Thesauro Laconicarum Epistolarum M. Joannis Buchleri, ubi hæc 46.

III.

TOMYRIS MASSAGETARUM Regina, Cyro Persarum Regi.

„ DEsine bellum experiri, ô Rex
„ Persarum, quod an tibi utile
„ futurum sit, nescis. Tuum
„ opulentissimum regnum geras,
„ nosq; loca nostra deserta ac rupes
„ incultas colere æquo animo patiare. At cum omnia magis quàm pacem tibi probare soleas, verbis meis

meis protectò obtemperare noles. Quod si Massagetarum virtutem experiri malueris nihil est quod flumen Araxem armatis pontibus jungas. Aut copiæ nostræ trium dierum itineribus à vobis recedent tuq; in regnum nostrum tuto venies: aut si magis hoc voles, nobis des tantum otij lociq; ut ad tua loca concedamus. Ibi tum demum de imperio ac virtute summum periculum faciemus.

NOTÆ.

CUm omnes homines, ut Cæsar lib. 3. de bello Gall: scribit, libertati studeant, servitutisq; conditionem odio habeant; liberis civitatibus atq; populis maximo sine periculo bellum non infertur. Tantum enim dulcedinis habet libertas tamq; pretiosa res est, ut nullum vitæ periculum homines defugiant si spes aliqua non prorsus fri

„ vola, te eam aliqua saltem ex parte tue-
„ ri posse, affulgeat. Sapienter itaq; To-
myris Cyrũ, ut ab hoc bello minus ne-
cessario, nec ex usu futuro, absistat, sed
frustrà hortatur. Cum itaq; hoc bellum
contrà Massagetas populum liberri-
mum, Crœso etiam dissuadente, suscep-
tũ fuerit, licet benè se habuerint prin-
cipia; eventum tamen sortitum est in-
felicissimum. Etsi enim primo & secun-
do bello contrà Astyagen & Crœsum fe-
liciter confectis, tertium contrà Jonas,
quartum contra Assyrios insigni quoq;
gloriâ gessisset: quintum tamen & ulti-
mum, contrà Massagethas, Scythiæ po-
pulos, infelicissimè suscepit. Omnia au-
tem illa eleganter apud Herodotum &
Justin. lib. 1. descripta extant. Bellũ hoc
septennale refert Elias Reusnerus in Ur-
so Persico, ad annum Mundi 3451.

IV.
TOMYRIS CYRO PERSA-
rum Regi.

„ DEsine gloriari Cyre, quod co-
pias

pias noſtras deleveris. Non virtuti tuæ ſed vino laus victoriæ tribuenda eſt. Decet autem magnanimos Imperatores virtute belli non dolo præſtare. Tum demum animadverti tandem, cruoris humani aviditate non gloriæ te dimicare. Proinde edico tibi ut intra biduũ filium meum bello captum miſſum facias, ac quàm primùm ex Maſſagetis recedas. Quod ſi minus curaveris, teſtor Solem Dominum meum, me daturam operam, ut tandem humani cruoris ſatietas te capiat.

NOTÆ.

CYrum non virtute ſed dolo Scythas ſuperaſſe, infenſo & acerbiſſimo animo exprobrat ei Maſſagetarum Regina. Uſus autem fuit tali ſtratagemate, quod Crœſus ſuppeditaſſe dicitur, quo primùm Cyrus victor evaſit.

Cum enim Araxim transgressus castra metatus fuisset, & ea, quasi aufugeret simulato metu deseruisset; Vino, cibo & aliis quæ ad epulandum necessaria sunt, ibi relictis: filius autem Tomyris rei militaris ignarus, hostem ut persequeretur egressus, cum ad castra ventũ esset, quasi ad epulas non ad arma accessisset, omissis hostibus se barbaros vino onerare passus fuisset; Scythæ prius ebrietate quàm hostium armis opprimuntur. Cyro enim per noctem reverso, vino somnoq́; sepulti ac securi, unâ cum Reginæ filio obruuntur omnesq́; interficiuntur. Quomodo verò pari sed muliebri astutiâ & fraude, Cyrus in angustias perductus & cum ducentis millibus armatorum, trucidatus fuerit: quomodo caput ejus abscissum, in utrem humano sanguine completum, gravissimâ crudelitatis exprobratione his verbis conjectum fuerit: „ Satia te sanguine quem sitivisti, cujusq́; „ insatiabilis semper fuisti; apud eosdem legatur authores. De stratagematis,

Po-

Polyœni & Frontini legãtur libri. Quod vero licitum sit ijs adversus hostes uti tàm sacrę quàm prophanæ probant historiæ. Sic enim D. Augustinus in quæstione super Josuam inquit: Cum justum bellum suscipitur utrùm apertè quis pugnet, an ex insidiis, nihil ad justitiam interest. Josuæ enim Deus ipse mandat, ut civibus Haimitis insidias struat. Idem probat historia Judithæ, callido Holofernem consilio interficientis: historia Davidis 2. Reg. 5. cui ab ipso Deo mandatum erat, ut hostes à tergo adoriretur. An dolus an virtus quis in hoste requirat? Virgilius: Fraus nãq; est concessa licetq; repellere fraudẽ, canit Ovidius: Bellandũ est astu: levior laus in duce dextro; Silius Italicus. Agesilaus, authore Plutarcho, cum Tissapherni Persarum Regis Satrapæ homini fœdifrago, dolis ac insidiis variis multas urbes abripuisset & occupasset, amicis dixisse fertur: fœdera quidem violare præter causam impium esse: cæterum hostibus imponere non modo

„ do justum esse ac laude dignum, sed &
„ jucundum & lucrosum. De his & pluribus vide Stratagematographiam Eliæ Reusneri lib. 2. cap. 5. Justi Lipsij polit. lib. 5. c. 17. Mortem verò Cyri refert Bucholzerus in annum M. 3442. A. C. N. 529. Epist. hanc vide apud Herodotum lib. 1.

V.

OTANES PERSA PHÆDYmæ filiæ.

„ Filia, splendorem familiæ de-
„ cet, nullum periculum horres-
„ cere quod parentis imperio ti-
„ bi injungatur. Nam si is, quo cum dormis, non est Cyri filius, sed quē suspicor: non debet ille per impunitatem decus familiæ nostræ turpi tuo complexu deturpasse. Igitur, quàm primùm is nocte somno captus fuerit, illius aures attingas; quas si deprehendas, illum

Smer-

Smerdim Cyri filium esse planè credas: sin captum auribus cognoveris, hunc Smerdim mendacem magnum esse nihil est quod dubites. Quicunq; fuerit, me certiorem facias, velim.

NOTÆ.

CAmbyses Rex, Cyri filius, Ægyptiis bellum inferebat. Cum itaq; per somnium Smerdem fratrem regio solio insidentem conspexisset, ne res novas in regno moliretur, veritus, per Prexaspem illum interfici curavit. Mortuo verò Cambyse, magus quidam ejusdem nominis formæ ac staturæ, se adhuc vivum & Smerdem illum Cyri filium esse asserebat. Cum itaq; Otani viro primario res illa suspecta esset, hasce literas ad filiam dedit, ut, vero per aures explorato, id sibi reseriberet. Quo facto, Otanes Aspathinæ & Gobryæ Persarum primoribus, & ad fidem sibi servandam accommodatissimis, rem omnem

omnem exponit, qui rem ita sese habere existimantes ut singuli & singulos in societatem eligerent è Persis, quibus maximè confiderent, constituerunt. Otanes itaque Intaphernem, Gobryas Megabyzum, Aspathines Hydainum, cum asciviſſent, placuit ut & hisce Darius Hystaspes adjungeretur. Quomodo verò conjuratio facta & in effectum perducta fuerit, satis copiosè & eleganter enarrat Herodotus apud quē ibidem & hæc Epistola in II. halia.

VI.

DARIUS PERSARUM REX Indathyrso Scytharum Regi.

QVid tàm diu fugis, magnanime imperator, cum alterum facere possis? Si enim te mihi virtute parem cognoscas prælio certemuis: sin te longè imparem comperias, honores debitos exhi-
„ beas: nec aliud vectigal quam a-
„ quam & terram mihi deposco. At si me

si me convenias spero futurum, ut omnia inter nos pace ac fœdere optimo firmentur. Vale.

NOTÆ.

SMerde Mago à Dario Hystaspis filio & reliquis conjuratis è medio sublato, de regno restaurando deliberatio instituitur. Quomodo verò Darius equisonis industriâ Rex creatus fuerit: quomodo Babyloniam Zopyri fide occupaverit: quomodo contra Scytas majori conatu quàm successu expeditionem susceperit; quomodo Jonios subjugaverit; quomodo maximis etiá copiis in campo Marathonio Miltiadis virtute profligatus fuerit; præter Herodotum Æmilius Probus & Plutarchus in Miltiade, & Justinus exponunt. Quas quoque literas in bello Scythico Darius ad Indathyrsum dederit & quid Scytharum Rex responderit, Herodotus etiam refert lib. 4. Hic Darius Hystaspis filius Rex Persarum constituitur, anno ætat: 36, M. 3451. ante C.N. 520.

IN-

VII.
INDATHYRSUS SCYTHA
DARIO Regi.

CAve existimes, res meas eò deductas esse, ut vel tu vel totus terrarum orbis terrorem mihi incutiat fugamq; suadeat. Id ago nunc quod veteri gentis instituto paceq; consuevi: sed si prælium inire nolui, hoc sedulò egi, ne tibi pugnam optanti obtemperarem. Nos Scythæ neq; urbes néq; seminatos agros habemus, pro quibus tuendis pugnandum sit. Si sepulchrum cineresq; meorum attingas, tum demum cognosces quales bello simus. Quod verò à me tibi honores exhiberi deposcis, miror profectò; quippe qui solos mihi Dominos arbitror Jovem progenitorem meum & solium

lium Scytharum regium. Pro terra autem & aqua quæ vectigalium loco tibi dari contendis, aliquando dona & te & me digna tibi mitti curabo.

NOTÆ.

QVanta fuerit Scytharum quondam virtus, Cyri interitus, Darij profligatio Amazonumq́, victoriæ testantur. Eadem quoq; ex Indathyrsi responso elucet. Videatur verò de his & pluribus Herodotus lib. 4. Ibi enim Equitis à Dario missi oratio & Indathyrsi responsio recitantur.

VIII.

DATIS PERSA DELIIS S.

QUo fugietis viri sacri? Vos de me (nullo meo scelere) malè sentitis. Jussum Darij & voluntas mea me impellunt, ut illi insulæ parcam, ubi duo lucidissima sidera nata sunt. Jam redite ad

patriam vestram & tutò illam inhabitate.

NOTÆ.

DElos in mari Ægæo Cycladum est clarissima, Apollinis templo & mercatu nobilissima. Nomen autem sortita fuit à δηλόω i. e. manifestum reddo, quod, Aristotele autore, cum fuerit submersa repente apparuerit. Solinus cap. 17. ait: Cum post diluvium Ogygis temporibus notatum, novem & amplius mensium diem continua nox in umbrasset, Delon ante omnes terras radiis solis illuminatam sortitamq; ex eo nomen quod prima reddita foret „ visibus. Duo verò lucidissima sidera „ in insula hac nata dicuntur, cum Lato- „ na Apollinem & Dianam in ea peperis- „ se censeatur. Cum itaq; Darius Hystaspis Persarum Rex bellum in Græciam decrevisset, Mardoniusq; dux adversa tempestate repulsus fuisset, huic bello Datim & Ataphernem præfeciisse dicitur. Quod verò Datis ad Delios delatus

tus per caduceatorem eos sic allocutus fuerit, exponit Herodotus lib. 6.

IX.

THEMISTOCLES JONIIS S.

IMprobe agitis Jonij, qui Græci-« am servam fieri contenditis, quã « & parentem vobis esse recorda-« ri & pro tuenda libertate vestra di-« micare, æquum fuerat. Quod vo-« bis minus probatur, in neutram « tamen partem concedatis idq; Ca-« rios agere hortamini. Quod etiam « si facere commodum vobis non « sit, cum prælio interfueritis, ita vos « geratis, ut vos à nobis oriundos « bellumq; à vobis primò incitatum « cognoscatur. Valete «.

NOTÆ.

QUantis copiis Xerxes Græciam inundaverit ab historicis satis copiosè & dilucidè expositum est. Quid verò Themistoclis virtute hoc bello effectum

fectum sit, in ore est omnium. Has literas lapidibus incisas Jonibus ad Artemisium legendas fuisse propositas, narrat Herodotus lib 8. Fuit autem Jonia regio Minoris Asiæ, media inter Cariam & Æoliã, in qua urbes fuerunt Ephesus, Miletus, Prirene, Clazomene & aliæ nobilissimæ. Singulari itaq; prudentiâ hasce literas ad Jonas missas Græciæ „ saluti accommodavit. Est verò me„ morabile exemplum quo monemur in „ patriæ perniciem proprij emolumen„ ti aut metus causa cum hoste nõ collu„ dendum, sed pro communi ejus salute „ pro focis & aris fortiter dimicandum „ esse. Incidit Xerxis bellum Græciæ illatum, in annum circiter mundi 3491. A. N. C. 480.

X.

ARISTAGORAS CLEOMENI Lacedæm: Regi.

„ PUdor Maximus Jonicæ gen„ tis, quæ jam diu barbaris in-

servit,

servit, me ad depoſcendum auxi- "
lium veſtrum impedit. Quod ta- "
metſi Græciæ univerſæ dedecori "
eſt: majori, tamen vobis Lacedæ- "
moniis, qui virtute & gloriâ cæte- "
ris præſtatis. Quapropter vos per "
Deos immortales, per affinitatem,
per veſtrammet gloriam obteſtor,
ut vos è Perſarum manibus tan-
dem vindicetis; quod per quàm
facilè vobis cedere poteſt. Nam
nec vobis pares aut ſimiles, vel arte
vel naturâ barbari cenſendi ſunt.
Vos rei militaris ſcientiâ bellicisq;
artibus omnium facilè principes
ſemper fuiſtis: ij pugnaturi lan-
ceis brevibus, parvis arcubus ac
pennis utuntur, braccatique ince-
dunt, gens profectò nec aſſueta ur-
bium oppugnationibus, nec pa-
tiens laboris vel inediæ. Quippe

„quæ tantum habeat divitiarum, „quantum vix reliquum orbis terrarum habeat. Persis aurum, argentum, vestes, jumenta innumerabilia nunquam deerunt. Quæ „omnia minimo labore vos adipisci „nunc potestis. Nam & regionibus vestris imminent, ut vobis inscripta tabella demonstrabit. Deos quæso, ut quod optimum sit & universæ Græciæ salutare, decernatis.

NOTÆ.

ARistagoras Mileti tyrannus, Jones contra Persas, à quibus erant subjugati, ad rebellionem incitans, ad Spartanorum Regem sapientissimum Cleomenem pervenit, apud quem eum talem habuisse orationem satis artificiosè & argutè elaboratam, qualis in epistola hac expressa est, qualeq; responsum Cleomenes ei dederit, cum aliis hisce

hiſce adhærentibus, elegantiſſimè declarat Herodotus lib. 5. Quomodo verò in Thraciam tandem profectus Ariſtagoras Darij vim pertimeſcens mortem oppetierit, eodem libro in fine exponitur. Quantus imperator fuerit Cleomenes præter Herodotum Juſtinus lib. 28. Plutarchus in parabolis & Æmylius Probus exponunt. Fratri autem Ageſipoli in regno ſucceſſis Cleomenes anno Mundi 3602. Mortuus 3663.

CENTURIÆ

Castrensium Epistolarum,

SECUNDA CORONA.

I.

MARDONIUS PERSA ATHENIENSIBUS.

HÆc mihi Xerxes meus perscripsit; Omnes injurias quibus Respubl. Atheniensis me affecit, illi condono; tu verò Mardoni ita etiam facies. Athenienſibus urbes, agrosq; reddas, aliumq; locum, quem maluerint, ſibi deligant; liberi immunesquè
» ſint. Templa Deorum immorta-
» lium dejecta & combuſta quam
» primùm mecum fœdera percuſſe-
rint, inſtaurentur. Nunc parte s
meæ

meæ sunt regis jussui obtemperare, modo hæc vos probetis. Dicite « quæso Athenienses, quâ dementia « adversus Persarum Regem bellum « geritis; quem nunquam vincere, « nec semper æquare poteritis? Ar- « bitror vos scire, quas & quantas co- « pias adhuc in acie habeam, quæ ta- « metsi à vobis fugentur & propte- « rea otium & quietem sperare de- « bebitis? Nam & major exercitus, « ac firmior ageretur. Ne patiamini « patriam vestram interire, néve illâ vosmet vestro scelere privetis. Jam longis laboribus finem imponentes, oblatamq; pacem sine ullo proditionis metu cum maxima vestra dignitate tandem complectamini, & quod Reipub. utile est statuatis. Valete.

NOTÆ.

MArdonium à Dario ob rem infeliciter gestam ab officio remotum, à Xerxe autem restitutum & unâ cum illo in Græciam profectum fuisse, ex historia constat. Xerxe verò præcipiti fugâ in Asiam revertente, cum in Græcia cum exercitu remansisset Athenasq; incendisset, hasce eum postmodum eò literas, per Alexandrum Amyntæ filium dedisse, ex Herodoti lib. 8. manifestum est. Est autem Xerxis hoc bellum insigne fragilitatis humanæ exemplum, qui, cum maximis copiis Græciam inundaverit, maris æstus virgis castigaverit; eas tamen in angustias reductus fuerit ut parvâ scaphâ elapsus hostibus nondum superatis pacem & fœdera offerre non dubitaverit. Quid verò hac ratione Mardonius effecerit ex sequentibus apparebit.

II.

LACEDÆMONII ATHENIENSIBUS.

Hue

HUc nos Lacedæmonij vos o- «
ratum misere, ne quid noxij «
adversus res Græciæ statuatis, «
néve barbarorum verbis pro factis «
fidem aliquam adhibeatis. Hæc «
verò nullam Græcorum gentem «
decent, imprimis autem Atheni- «
enses. Vos enim primi absq; con- «
silio nostro bellum excitastis, quod «
deinde universam Græciam inva- «
sit, nosq; pro tuenda libertate ve- «
stra in hæc belli incommoda inci- «
dimus. Nec unquam adduci pos- «
sumus, ut pro tantis erga vos offi- «
ciis Græciam barbaris gentibus «
prodere ac servituti objectare veli- «
tis. Majores vestri aliis tempesta- «
tibus non modo urbis suæ liberta- «
tem sed & communem omnium «
tutati sunt. Quod si primis rerum «
periculis regio vestra exposita est,

peri-

perini quo animo patimur, eoq; magis, quod duarum messium fruges ab hostibus interceptæ, domusq; vestræ maximâ hostium clade direptæ captæquè fuerint. Quod prospicientes Lacedæmonij socijq; omnes, vobis filiisq; urbes domosq; suas totas donant, pollicenturq; imbellem turbam publicè alere, quousq; Persas Medosq; communes hostes domuerimus. Cavete ne vos Mardonij literæ Alexandriq; Macedonis verba fallant, qui Persarum rebus tantũ „ tribuit. Nihil enim est mirum ty„ rannum alterum alteri rationibus „ quibuscunq; favere. Nullum pe„ nes vos pondus ea verba habere „ debent, cum sciatis, barbaros o„ mnes fidei nullam unquam ratio„ nem habuisse. Valete.

NO-

NOTÆ.

POstquam Alexander Amyntæ filius à Mardonio Athenas missus suâ legatione, quæ literis superioribus expressa, perfunctus fuisset, multaq; præterea quæ ad rem facere tum visa sunt, addidisset: Legati Lacedæmoniorum hac instructione accesserunt, fœderaq; cum barbaro contra totius Græciæ libertatem ineunda esse, dissuaserunt. Quæ omnia cum ab Herodoto satis concinnè lib. 8. exponantur, ab illo hæc peti possunt. Est autem imprimis notandum quod in fine Epistolæ de barbarorum fide fuit adjectum. Barbarorum enim hoc esse proprium violare fidem, à Lacedæmoniorum Repub. gravissima & honestissima gravissimè eis exprobratur. Fidei autem etiam hosti servandæ illustre exemplum habemus in M. Atilio Regulo, Consule Romano; referente Agellio lib. 6. cap. 4. Val. Max. lib. 1. cap. 1. In Joanne Valesio ab Anglis: in Guidone Flandriæ Comite à Philippo

Pulchro

pulchro Galliarum Rege capto: In Ludovico Nono Galliæ Rege: in Carolo Quinto Romanorum Imperatore, qui aliis instantibus ne hæretico Luthero „ fides servaretur, respondit: Fidem re„ rum promissarum, etsi toto mundo „ exulet; tamen apud Imperatorem con„ sistere oportere. Hæc & quomodo violata fides à Deo tàm in barbaris & Ethnicis, quàm in Christianis semper gravissimè punita fuerit, exempla videantur in Eliæ Reusneri Hortuli Historico-politici, Coronæ 2. flore 8.

III.

ATHENIENSES ALEXANDRO MACEDONI.

NOs amplitudinem Persarum Regis viresq; maximas planè cognovimus, & quantum nobis Rex præstet facilè quivis hominum scit. At propterea nihil est quod res nostras tueri desistamus. „ Est enim virtutis Athenienſium pro

pro tuenda libertate tàm diu pugnare, quandiu ſpiritus ipſe nos non deficiat. Dſine igitur nobis ſuadere, ut cum barbaro rege pacem ineamus: nec illud ſibi Mardonius polliceatur, cui verbis noſtris illud dices: quandiu Sol proprio curſu circumagetur, nos libertatem noſtram Deorum immortalium præſidio defenſuros, eorũ inquam Deorum, quorum ſimulachra & templa flammis conſumpſerunt & demoliti ſunt. Poſtremum hoc à nobis Alexander ne petas. Hæc enim non ſine maximo noſtræ dignitatis dedecore agere ac paciſci poſſumus: nobis amicus ae familiaris pro mutua neceſſitudine intet nos, nihil tentare niſi honorificum honeſtumq; debueras. Vale.

NO-

NOTÆ.

Athenienſium virtutem in defendēda libertate clariſſimis ſub ducibus ſemper fuiſſe maximā, hiſtoriarū monumenta tradiderunt. Nec quid contra Perſas Duce Miltiade, Themiſtocle, Pauſaniâ & aliorum prudentiâ ac fortitudine effecerint, in obſcuro eſt. Eadem virtutis præſtantia in hac quoq; elucet ad Alexandrum & ad Lacedæmonios reſponſione. Habentur verò & hæc cum reliquis apud Herodotum lib. 8. circa finem. De Alexandri origine & virtute excellentiſſima videatur hic Herodotus & Juſtinus lib. 7.

IV.

THESSALI PHOCENSIBUS.

Diſſimulatis adhuc etiam Phocenſes, quantum virtutibus vobis præſtemus? Cum nos & quandiu Græcorum partes ſecuti ſumus, tandiu priores partes habueri-

buerimus: nunc verò apud Persarum Regem eum locũ teneamus ut pro arbitrio nostro vos patria deturbare ac quasi servos vendere possimus. Sed tametsi tantum virium habemus; id tamen scelus nunquam moliri audemus. Nihil est enim quod facilius quàm injurias oblivisçamur. Pollicemur igitur nos operam daturos, ut vobis agroq; Phocensi parcatur, si nobis quamprimùm quinquaginta auri talenta pendantur. Quod cum nobis magno commodo, tum vobis majori usui fore speramus. Valete.

NOTÆ.

INter Thessalos & Phocenses simultates & odia inveterata eorumq; causas exponit Herodotus eodem lib. 8. Antequam autem Xerxes bellum hoc Græciæ intulisset, Thessali à Phocensibus fugati & malè mulctati fuerant. Copias

enim eorum pedestres tali stratagemate clade affecerant: Tellias vates sexcentos è Phocensibus viros præstantissimos eorumq; arma gypso illeverat, eosq; sub noctem in hostium castra, hoc dato præcepto, ut quemcunq; non albicantem cernerent obtruncarent, dimiserat. Hosce cum primùm excubitores, prodigium hoc quoddam esse arbitrati, deinde exercitus ipsi exhorruiscent, tribus millibus cæsis, scuta & prædæ decimas Diis consecraverant: Equitatum etiam clade affecit maxima. Ad ejus enim ingressum ingenti in fossa amphoris inanibus positis terraque desuper injectâ reliquo solo adæquaverant: ubi cum Thessalos incursuros expectassent; ipsi quasi facto impetu in amphoras inciderunt equorumq; crura fracta fuerunt. Hæc cum alta mente reposita manerent infensi Thessali Caduceatorem ad Phocensos tali vel Epistola vel oratione instructum miserunt.

PHO-

V.

PHOCENSES THESSALIS.

SI nos non puduisset Græciam, per proditionem fallere, neque nobis apud Persarum Regem honorificentissimus locus defuisset; nec esset quod fortunæ vestræ aliqua ex parte invideremus. At illud nobis imprimis statutum est, « omnia extrema potius quam proditionis notam subire, ac patriæ « communi deesse. Proinde desinite vel nobis interminari, vel de fide nostra quicquam dubitare. Valete.

NOTÆ.

QUam ægrè Thessali hoc responsum, & quod nullam pecuniam miserint, tulerint, ibidem narrat Herodotus. Illos enim vehementer infensos in Phocensium regiones per Doridum ditiones barbaris viam monstrasse

straſſe ducesq; itineris fuiſſe, exponit, qui omnem eorũ agrum diſcurrendo, omnia ferro & flammis devaſtaverit.

„ Tanta odij inveterati in hominum animis vis eſt, vindictæq; cupiditas, quæ ipsâ vitâ jucundior dicitur, inexplebilis.

VI.

ALEXANDER JOVIS HAMMONIS filius Olympiadi matri S.

JAm omnia cedunt virtuti nostræ. Tandem capta eſt Tyrus omnium Urbium munitiſſima.

„ Sed & in oppugnatione hujus, o-
„ mniumq; urbium & in quibus-
„ cunq; belli periculis, nihil eſt quod
„ de ſalute noſtra quicquam dubi-
„ tes; cum Jovis filium Jovis præſi-
„ dio tutum neci ſubtrahi perpe-
„ tuoquè ſervari, maximè deceat. Vale.

NO-

NOTÆ.

OLympias Philippo Regi confessa fuerat, ex eo se non Alexandrum, sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse, unde etiam illam extremo vitæ tempore, ut stupri conscíam, repudio dimiserat. Quo igitur divinitatis originem sibi Alexander acquireret, matremq; ab infamia tali liberaret, non solum ipse Jovis Ammonis se filium esse gloriabatur, sed etiam Indiæ sacerdotes, ut se Jovis filium salutarent, subornari curavit. De hac re & Tyri expugnatione videatur Q. Cartius lib. 4. Justinus lib. 11, cum cæteris.

VII.

OLYMPIAS ALEXANDRO Macedoni, filio.

MAximâ me affeciſſet lætitiâ, munitiſſimæ oppugnatæ urbis victoria, resq; præclarè à te geſtæ, niſi in inſcriptione literarum me aliquantiſper

læsisse quod Jovis filium te appel-
» laveris. Amabo te mi fili, quiescas,
» neque deferas me neq; criminere
» adversus Junonem. Magnum illa
» mihi prorsus malum dabit, cum tu
» me literis tuis pellicem illi esse
» confitearis.

NOTÆ.

QUam suspicax Juno, quam astuta & ingeniosa in furtis Jovis deprehendendis, quantoq; odio pellices suas prosecuta fuerit, ex Poetis notum est. Olympias itaq; filium Alexandrum rogat, ne Junonis odium in se acerbissimum concitet afflictissimæq; afflictionem addat. Capta autem fuit Tyrus post 7. mensium oppugnationem anno Mundi 3649. Ante C. N. 331.

VIII.
ALEXANDER DARIO Regi.

MAjores tui nulla injuria à Græcis lacessiti, in Macedoniam

niam reliquamq; Græciam olim transgressi, magnis cladibus eam affecere. Ego verò idcircò à Græcis Dux creatus sum, ut acceptas injurias ultum eam; ob eamquè rem in Asiam trajeci: Perinthij à vobis bello adjuti, qui Philippo patri infesti erant: exercitus in Thraciam, quæ nostri juris erat, ab Ocho missus. Ad hæc Philippus pater ab his interfectus est, quos pecuniâ corruptos in cædem ejus subornastis: de quo tam nefario facinore vel per Epistolas vestras gloriari soletis. Adhæc Arca Bagoæ auxilio, à te necato, unde ad te regnum pervenit, neq; justè, nequè secundum legem Persarum regnas. Scripsisti ad Græcos de me hostiles literas, eos ad arma contra me capescenda, quantum in te fuit

cohortatus, atq; in eam rem ad Lacedæmonios & alios quosdam Græcorum pecuniam misisti, quã tamen vix ex omnibus Græcis Lacedæmonij acceperunt: quo facto amicos & socios meos à me distrahere atq; abalienare conatus es. His de causis adversum te exercitum duxi tecumq; instructâ acie pugnavi. Itaq; cum duces tuos primùm ac regulos, deinde & exercitum tuum prælio vicerim, possessionemq; Asiæ, Dijs volentibus, adeptus sim; cumq; milites tui, qui ex acie servati, ad fidem meam confugerant, voluntariè mecum militent, (quæ res me Asiæ Dominum esse declarat) ad me ipse profisciscere. Quod, si metuis, mitte à tuis quos velis, qui fidem à me accipiant, tutam tibi profectionem fo-

fore. Ad me profectus & matrem « & uxorem & pueros & si quid a- « liud voles, accipies. Cumq; post- « hac ad me scribis, ad Asiæ te Regem scribere memineris: neq; tanquam ad parem sed tanquam ad rerum tuarum Dominum. Sin aliter feceris, ego de te, tanquam de eo qui mihi injuriam faciat, decernam. Quod si de regno contradicis, mane, ac pro eo depugna neq; fugæ confidas. Ego enim quocunq; jeris, te te persequar.

NOTÆ.

CUm ab Alexandro Darij exercitus ad Granicum flumen profligatus ad Jssumq; matre ipsius, uxore, filio & filiabus cum reliquis captis, superatus fuisset, legationem misit Darius ad Alexandrum, cumq; literis oblatis sibi Regis titulum assignasset, Alexandri verò nomini illum non subscripsisset, non

leviter, (ut Q. Curtius lib. 6. Arianus lib. 2. authores sunt) illis fuit offensus. His itaq; hac Epistola respondet; causas suæ in Asiam expeditionis ostendit; ea quæ ab ipso sibi præstari velit, exponit. De Perinthiorum Urbis à Tearo fonte, ad quem Darius triduo stativa habuit, cum adversus Scythas expeditionem suscepisset, distantia, Herodot. lib. 4. De Perinthiorum bellis cum Pæonibus & Persis gestis, lib. 5. legatur. In Ocho Persarum rege octavo, cujus hic fit mentio, observandum, primum Persarum Regem fuisse Cyrum, 2.
„ Cambysem, de quo versus: Quid tibi
„ profuerit Cyrum monstrasse parentē.
Impia Cambysen si tua vita refert? 3. Darium Hystaspis filium. 4. Xerxem. 5. Artaxerxem Longimanum. 6. Darium Nothum. 7. Artaxerxem Mnemonem. 8. Ochum à principe Bagoa ob crudelitatem interfectum. Bagoam regnum ad se transferre cupientem cū vires destituissent, 9. Arsamen Ochi filium regem constituisse. Bagoas verò

cum

cum etiam Arsamen quarto regni anno interfeciſſet, filium ob paternam necem metuens, regnum à Cyri proſapia & poſteritate ad Armeniæ principem tranſtulit, nomenq; Darij ei impoſuit. Huic Dario ultimo, qui ab Alexandro victus & regnum & vitam amiſit, exprobrat Alexander, quod Bagoam interfecerit, licet ille ſcelerum ſuorum juſtiſſimas pœnas dederat. Ocho enim & Arſeme è medio ſublatis, Dariũ ipſum quoq; veneno Bagoas i.e. vire conſtituerat, qua re indicatâ venenum ipſum quod Dario erat propinaturus, exhaurire coactus eſt in ipſo convivio. Cum verò Rex Philippus exercitum in Aſiam miſiſſet, & illi Darius claſſis ducem Mnemonem Rhodium, rei militaris peritiâ excellentem oppoſuiſſet, Philippo mortuo concitavit Græciæ civitates contra Alexandrum, cujus belli ſuaſor etiam fuit Demoſtenes. Sed his Thebis everſis, & ſopitis omnibus, expeditionem hanc ſuſcepit Alexander in Aſiam anno M. 3638. A.C.N. 333.

RO-

IX.

ROXANES MATER DARIO filio Regi.

NUntiatum est mihi, te populum tuum totum aggregasse & alias gentes plurimas, ut cum Alexandro iterum pugnares. „ Sed quid tandem efficies? Nam „ nec totius orbis terrarum copiis il„ li occurrere aut reluctari posses, „ cum Dij immortales ei maximè fa„ veant & præstò sint. Dimitte hos ingentes spiritus; recede ab illa tua gloria; magnitudini Alexan„ dri aliquid tribuens. Melius est e„ nim relinquere quæ tenere non „ potes, ut quæ tenere possis, ijs paca„ tè quieteq; fruaris, quàm dum velis „ omnibus imperare, tu ipse ab o„ mnibus excludaris. Vale.

NO-

NOTÆ.

TRibus prælijs cum Dario commissis Alexander totam Asiam suæ potestati subjecit Monarchiamq; Persarum ad Græcos transtulit. Cum itaq; Darius duobus præliis victus, tertiâ vice bellum restauraret in quo pugnâ ad Arbelam factâ, à Besso in fuga occisus fuit, à matre hac præmonitus est epistola, cujus tamen dehortationi, clade suorum maximâ, totiusq; regni interitu, non obtemperavit.

X.

ALEXANDER REX DARIO Persarum Regi.

SUperbiam elationemq; animi « Dij semper odio habuere sicq; « mortales pereunt, cum sibi no- « men immortalitatis assumunt. Tu « autem ut video, non cessas Deos quousq; poteris maledictis insectari. Ex eo verò quod nos arguis pro-

propter benignitatem, quam regiæ amplitudini ostendimus, ineptâ tu quidem cogitatione moveris, cum illud nec tuæ captandæ „ benevolentiæ, neq; gratiæ conse- „ quendæ, sed ex nostræ elegantiæ „ & virtutis splendore porvenerit. „ De victoriis quoq; quas nobis di- „ vina providentia largita est nihil „ magnoperè lætor. Dij enim illos juvant quos tu quotidiè aspernaris, cum te Deum esse dicas & ijs cupias adæquari. Hæc postrema tibi sit Epistola. Cave interim tibi: nam adversus te citato cursu cum meis copiis propero.

NOTÆ.

TAxat in hac Epistola superbiam Darij Alexander, ut qui se Dijs immortalibus ad æquari cupiat, eumquè impietatis, cum dijs etiã maledicat, insimulat.

mulat. Rex admodum felix, si quod in « alio reprehendit, ipse ad finem usq; evi- « tare potuisset. Et si enim propter regiã « indolem præceptorisq; sapientissimi educationem & informationem præclarissimam, virtutes, in ipso etiam imperio, ex animo & corpore illius eluxerunt excellentissimæ, quibus nõ solum Philippum patrem sed etiam omnes in regiæ majestatis solio constitutos superasse visus est: fortunæ tamen fœcunditate, victoriarumq; insolentiâ elatus, à virtutum humanitatis & moderationis gradu longissimè tandem recessit, ut se non tantum pro Jovis Hammonis filio haberi, sed etiam pro Deo coli & adorari voluerit. Sunt verò in « Dario & Alexãdro fragilitatis humanæ « illustria exempla: Nam secundũ poet. « *Luxuriant animi rebus plerumq; secundis:* « *Nec facile est æqua commoda mente pati.* « De tota autem vita Alexandri, de rebus præclare gestis, de virtutibus & vitiis videantur Arianus, Q. Curtius, Plutarchus & Justinus cum similibus.

CEN-

CENTURIÆ

Castrensium Epistolarum,

TERTIA CORONA.

I.

TARQVINIUS REX VITELLIIS FRATRIBUS.

VOs arbitror meminisse, adolescentes optimi, quo vos amore & pietate complexus semper fuerim: Ita ut vestri Tarquiniorumq; ipsorum nullum discrimen habuerim. At nunc ea vivendi liberâ ratione amissâ, specioso libertatis nomine non uni, sed pluribus perditissimis hominibus servire adacti estis. Me mitissimum Regem planè omnes cognovistis, à quo facilè omnia im-

impetrare erat: nunquam locus gratiæ beneficióve penes me defuit. Leges horum temporum „ sunt res surdæ & inexorabiles, nihil „ laxamenti, nihil veniæ habent, si „ quispiam vestrûm per adolescen- „ tiam modum excedat. Periculo- „ sum est in tot humanis erroribus „ solâ innocentiâ vivere. Proinde ut „ amicos tarquinio nomini fortesq; adolescentes decet, inite cum legato meo eam dedendæ urbis rationem, ut & vos liberam vitam agere possitis, Rexq; vester regnum sibi proditorum scelere ablatum, tandem consilio præsidioq; vestro recipiat. Valete & maturate „.

NOTÆ.

PRimus Romani imperij status fuit „ regius, utili ingeniorum varietate à septem regibus administr[illegible]us. Romulo

lo enim ut regnum invaderet, nihil fuit
erdentius: Ut ferox populus metu De-
orum mitigaretur, Numâ nihil fuit re-
ligiosius: Ut virtus populi ratione acue-
retur, bellatoribus viris militiæ artifex
necessarius erat Tullus: Ut Urbem co-
lonia extenderet, ponte jungeret, mare
tueretur, ædificator successit Ancus:
Tarquinij ornamenta & insignia quan-
tam principi populo addiderunt, ex
„ ipso habitu dignitatem? Ut ipsa se no-
„ sceret Respub. actus à Servio census ef-
„ fecit: postremò hujus Tarquinij Super-
„ bi importuna dominatio huic etiâ Rei-
„ pub. plurimùm ex usu fuit, quâ effe-
„ ctum est, ut populus injuriis & stupro
„ Lucretiæ imprimis agitatus & commo-
„ tus, libertatis cupiditate incenderetur.
Talem, inquit Florus, lib. 1. cap. 8. po-
puli Romani infantia Reipublicæq; uti-
litas, ingeniorum varietatem fatorum
industriâ poscebat. Regio vetò statu
propter insolentiam & Lucretiam à
Tarquini[illegible]to, Superbi filio stupra-
tam, i[illegible]pulus Romanus, Bru-

to

to Collatinoq; ducibus, (quibus moriens Lucretia cum sibi ipsi cruentas manus inferret, præsentibus ultionem mandaverat) ad vindicandum libertatis & pudicitiæ decus, quasi divino œstro percitus, Regem repentè destituit, bona abripit, & in eosdem duces imperium transfert; utq; sui officij perpetuò essent memores civibusq; suis bene consulerent, regio nomine immutato, Consules dicti fuerunt. Tarquinius itaq; cum animo hoc ferret iniquissimo, ut de restitutione in regnũ consilia iniret, epistolam hanc ad Vitellios fratres conscripsit. De Tarquinio verò ejecto & tandem occiso videatur Livius lib. 1. & 2. Decad. 1. Ejectus est anno Mundi 3464. 24. Febr. qui dies Regifugium dictus est, ante C. N. 507.

II.

M. FURIUS CAMILLUS Falisçis.

MItto ad vos ludi-magistrum à

liberis vestris virgis cæsum, quod illos novo scelere prodere nobis » voluerit. Pueros vestros missos fa- » cimus quod belli pacisq; jura esse » recordamur justeq; ea non minus » quàm fortiter didicimus gerere. » Arma habemus non adversus eam » ætatem, cui etiam captis urbibus » parcitur: sed adversus armatos & » ipsos, qui nec lacessiti à nostris, ca- » stra Romana ad Vejos oppugna- rant. Ludi-magister, quantum in ipso fuit, vos vicit: ego Romanis artibus, virtute, opere, armis sicuti Vejos, vos aliquando vincam.

NOTÆ.

DE illustri hac Camilli victoria illu- stria Plutarchi sunt verba in Ca- » millo: Ducem, inquit Camillus, non » alienâ iniquitate, verum propriâ virtu- » te fortem esse oportet. Non tantum » enim in promissis & pactis fidem tam injura-

injuratam quam juratam servandam « «
esse hosti: sed bellicam fidem erga ho- « «
stes omninò non violandam esse quo- « «
cunq; modo id fiat, præsertim verò in- « «
sidiando illis per fraudem, aut legatos « «
obsidesq; illorum violando, illustribus « «
monemur exemplis. Cum Alphonso
Arragonum Regi Rogertus Palantiæ
Comes promitteret, se Johannem Ca-
stellæ regem hostem ipsius confossu-
rum esse, si annueret. Non per scelus « «
sed virtute gloriam quærendam esse, « «
respondit Alphonsus, se enim non so- « «
lũ pro Castellæ atque Italiæ dominatu, « «
sed ne pro totius quidem orbis impe- « «
rio adipiscendo, tam crudele & dete- « «
stabile facinus permissurum. Promit- « «
tentibus eidem Renari Andegavensiũ
Ducis, hostis atrocissimi mortem, re-
spondit Alphonsus: se nequaquam in-
sidiis cum hoste de regno, sed manu
tantum & virtute dimicaturum. His
etiam, qui Franciſci Sportiæ mortem
pollicebantur, respondit idem lauda-
tissimus Rex: Nunquam victoriam sibi «

placuisse, cujus postea pigendum, pudendumq; esset. Nisi igitur ab hujusmodi consiliis abstinerent, talia exempla se in eos editurum esse, ut ejusmodi consilia sibi molesta & invisa esse omnes intelligerent. De his & pluribus videatur Elias Reusnerus in flore secundæ Coronæ, 8. quæ ex Æneæ Sylvij lib. 3. de vita Alphonsi huc congessit.

„ De Camillo L. Florus lib. 1. cap. 12.
„ inquit: Eam namq; Furius Camillus vir
„ sanctus & sapiens sciebat veram esse vi-
„ ctoriam quæ salvâ fide & integrâ digni-
„ tate pararetur. Excerptæ autem sunt hæ duæ Epistolæ ex Livij lib. 5. Deca: 1. ubi de Camillo asserit, quod multo meliore laude insignis justitiâ & fide, hostibus victis tacitè in urbem redierit, quàm cum triumphantem albi per urbem equi vexerant.

III.

FALISCI S. P. Q. R.

„ SAtis periculi factum est virium
„ nostrarum P.C. Victi à vobis &

ab

ab Imperatore vestro sumus eâ vi- «
ctoriâ, cui nec Dij nec homines in- «
videant. Dedimus nos vobis, rati, «
melius nos sub imperio vestro quã «
legibus nostris victuros. Eventu «
hujus belli duo salutaria exempla «
prodita sunt humano generi: Vos «
fidem in bello quam præsentem «
victoriam maluistis: nos fide pro- «
vocati victoriam ultrò detulimus. «
Sub ditione vestra sumus: mittite, qui arma, qui obsides, qui urbem bipatentibus portis accipiant. Nec vos fidei nostræ nec nos imperij vestri pœnitebit. Si quid autem est quod à nobis præterea velitis, de ijs omnibus legatos nostros certiores faciatis. Dabimus enim operam, ut nullis in rebus studium nostrum desideretis.

NOTÆ.

VIrtutis tantam esse vim quod in hoste etiam suam mereatur laudem, non est dubium. Mirè itaq; Faliscorum urbem egregio hoc Camilli facto affectam fuisse his verbis exponit Livius: Cum denudatum deinde eum (ludi-magistrum) manibus post tergũ illigatis, reducendum ad Valerios pueris tradidisset, virgasq; eis, quibus proditorem agerent in urbem verberantes dedisset: ad illud spectaculum concursu populi primùm facto, deinde à magistratibus de re nova vocato senatu; tanta mutatio animis est injecta, ut qui modo efferati odio irâq; Vejentium exitium penè quam Capenatium pacem mallent, apud eos pacem universa poscceret civitas: fides Romana, justitia Imperatoris in foro, in curia celebrantur: Consensuq; omnium legati ad Camillum in castra, atque inde permissu Camilli Romam ad Senatum qui dederent Valerios, profiscuntur. Introducti

cti ad Senatum his literis vel oratione eum allocuti dicuntur. Hæc Livius lib. 5. Dec. 1. Deditio verò Urbis facta est anno M. 3580. Ante C.N. 392.

IV.

C. FABRICIUS ET ÆMYLIUS

Consules Pyrrho Regi.

A. Gellig lib. 3. c. 8. noct. Attic.

NOs pro tuis injuriis continuo animo strenui inimici tecum bellare studemus: sed communis exempli & fidei ergo visum est, ut te salvum velimus, ut esset quem armis vincere possemus. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui à nobis pretium peteret, si te clam interfeciisset. Id nos negavimus velle, néve ob eam rem quicquam commodi expectaret: Et simul visum est, ut te certiorem faceremus, ne quid ejusmodi si accidisset, nostro consilio civitates putarent factum, & quod nobis

non placet, pretio, aut præmio, aut dolis pugnare. Tu, nisi caveas, jacebis. Vale.

NOTÆ.

INsignis Romanorum in jure belli observando integritas, candor atq; fides ex hac quoq; elucet Epistola. Cum enim Tarentini Romanorum legatis injuriam feciſſent, bellumq, ipsis à Romanis indictum esset: illiq; Pyrrhi Epirotarum Regis auxilium contra Romanos poscerent: Ille verò oraculum Delphicum in consilium adhiberet, respondit Apollo:

Ajo te Æacida Romanos vincere posse.

Primus itaque transmarinus Romanorum hostis Pyrrhus, cum in Italiam veniſſet, contra illum missus est P. Valerius Lævinus, pugnaq; ad Heracleam primùm commissâ in fugam conjectus est Pyrrhus; sed Elephantorum auxilio, qui Romanis antea cogniti non erant, victor evasit, millequè & octingentos Romanorum captos in summo

summo honore habuit. Junctis autem Samnitibus Brutiis & Lucanis cum Romam contendisset, Romano exercitu perterritus in Campaniam recessit, exploratâ Romanorum potentiâ & virtute pacem petivit, quam cum Appius cœcus dissuasisset, C. Fabricius cum Æmilio consule contra ipsum missus fuit. Quoniam verò Fabricium antea legatum, promissâ quartâ regni parte auroq; corrumpere non potuisset, castrisq; jam utrisq; in vicinia positis, medicus Pyrrhi Nicias, vel ut ab aliis vocatur Timochares, Regis internecionem promisisset, eumq; vinctum Fabricius cum hac Epistola reduci curasset, dixisse Pyrrhus dicitur: Hic ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate quam sol à cursu suo averti potest. Tandem Pyrrhus à M. Curio Dentato consule victus, cum Tarentum aufugisset, apud Argos interfectus est, eumq; Apollinis oraculo delusũ fuisse, manifestũ evasit. Pugnavit autem cum Lævino ad Heracleam A.M.3692. A consule Curio

rio victus & profligatus est ex Italia A. M. 3697. ante C. N. 274. Res ejus gestas describit Plutarchus in Pyrrho: Bellum Tarentinum L. Florus lib. 1. cap. 18. Ejus laudes ac virtutem egregiè commendat Justinus lib. 25. Livius inter alia Dec. 4. lib. 5.

V.

Q. FABIUS MAXIMUS MAGISter equitum, S.P.Q.R.

Mihi nuntiatum fuerat per exploratores apud Samnites hostes esse omnia soluta ac si nemo Romanus in Samnio esset. Ego verò occasione rei bene gerendæ adductus, exercitu instructo paratoq; ad Imbrinium profectus, acie cum hostibus conflixi: ea fortuna pugnæ fuit, ut res geri melius non potuerit: equis, qui aliquoties impetu capto perrumpere non poterant hostium agmen, frenos detraxi,

detraxi, atq; ita concitatos calcaribus immisi, ut sustinere eos nulla vis posset. Secutus pedes impetum equitum, turbatis hostibus intulit signa: viginti hostium millia cæsa sunt. Hac re injussu Dictatoris præclarè gestâ, non video cur Papirius dignitati suæ detractum existimet. Illud tamen mihi conscius « sum, me cum maximo etiam ca- « pitis ac fortunarum periculo nihil « unquam prætermissurum, quod « ex usu Reipub. futurum putem. «

NOTÆ.

DIsciplinæ severitatem apud Romanos in bello fuisse maximam, illustribus patet exemplis. Hoc enim « ex illo etiam manifestum est, quod in « bello non minus acriter & frequentius « vindicatum est in eos, qui contra im- « perium in hostem pugnaverant; quiq; « tardius revocati prælio excesserant, « quam

» quàm qui signa relinquere aut pulsi lo-
» co cedere ausi erant; ut author est
Salustius in conjur: Catilina: Viguisse autem illam disciplinæ severitatem constanter, hujus etiam epistolæ exemplo comprobatur. Cum enim contra Romanos Etrusci, Samnites & Latini conspirassent; adversus Samnitesq; missus esset Lucius Papirius à pedũ velocitate Cursor dictus, tum temporis Dictator, cum Q. Fabio Rulliano, qui ex Fabiorum gente primus Maximi cognomen accepit: Papirius verò auspicij repetendi gratia Romam regressus esset & Q. Fabio interdixisset, ne se absente cum hoste pugnaret; ille verò, ne occasionem opportunè pugnandi ex manibus dimitteret, fortiter cum hoste pugnasset, re bene ac ex sententia feliciter gestâ, hasce literas, ne hujus pugnæ, contra Dictatoris imperium factæ, successus felicissimus sibi exitium crearet, ad Senatum misit. Quoniam verò Papirius illum securi ferire constituisset, Romam

fugit,

fugit, ubi patris lachrymis populiq; intercessione ob egregiam virtutem & dignitatem, contra Papirij obstinatam persecutionem veniam hujus facti impetravit. De bello Samnitico L. Florus lib. 1. cap. 16. Livius Decad. 1. lib. 7. 8. 9. & 10.

VI.

C. PONTIUS SAMNITIUM Imperator, Herennio patri optimo.

AUdieram Romanas copias ad nos adventare, quas consiliis potius quam armis delere animum induxi: milites decem, pastorum veste indutos in conspectū Romanorum cum multa vi pecorum misi: qui ubi inciderent in prædatores, uno ore legiones nostras in Apulia ad Luceriam esse dicerent. Jam & hic rumor ad Romanos pervaserat: sed fidem auxe-

rc

re captivi. Hostes angustâ viâ brevissimum iter in Apuliam capescētes, insidiis circumventi sunt ad Caudinas furculas, inter duos saltq; clausi, ut nullâ ratione, nulla vi evadere possent. Quid de Romanis legionibus decernamus, satis non constat, te per literas consulendum censuimus. Tu pro tua prudentia „ statues, quomodo triginta annorum injurias à Romanis passas ul„ „ „ „

ipso Samnio requiratur, nec facilè ap- «
pareat materia quatuor & viginti triũ- «
phorum. Maximè tamen nota & illu- «
stris, (idem ait Florus) ex hac gente
clades apud Caudinas furcas, Veturio
Postumioquè consulibus accepta est.
Clauso enim per insidias intra eum sal-
tum exercitu, unde nõ posset evadere,
stupens occasione tantâ dux hostium
Pontius, Herennium Patrem consulvit:
& ille mitteret omnes, vel occideret, sa-
pienter ut senior suaserat. Hic armis
exutos mittere sub jugum maluit, ut
nec amici forent beneficio & post fla-
gitium hostes magis. De quinquagin-
ta annorum bello & viginti triumpho-
rum numero vide Commentarios Joa:
Stadij in Florum, qui ex Livio, Samnites
cum Romanis 60. annos bellum gessis-
se, Romanosq; tricies triumphasse af-
firmat. Incidit verò hæc Caudina cla-
des in annum Urbis Cond. 432. Mundi
3651. A.C.N. 320. Notandum etiam pa-
ria spacia ab excidio Trojæ ad V. C. &

inde ad cladem Caudinam, annos nimirum utrobiq; 432. fuisse.

VII.

BOSTHANES ET HANNO Carthaginenses Hannibali S.

CApuam abs te proditam etsi minus dignam gloriâ tuâ videatur, ut longè indignius, nos Pœnos de te bene merentes & præsidium universum, omnibus hostium cruciatibus expositos. Nuntiatum nobis est, te in Brutios abiisse, veluti avertentem te, ne Capua in oculis tuis caperetur. At
" Herculè Romani ne oppugnatio-
" ne quidem Urbis Romæ abstrahi
" à Capua obsidenda potuere; tan-
" to constantiores inimici quàm a-
" micus Annibal. Si redeas Capuam
" bellumq; omne eò vertas, & nos & Capuanos paratos eruptioni futuros

turos scias. Tu jam meminisse deberes, non cum Rheginis neq; Tarentinis bellum gesturum transisse Alpes: ubi Romanæ legiones sunt, ibi & Carthaginensis exercitus debet esse. Sic ad Cannas, sic ad Trasimenum res benè gesta; coeundo conferendoq; cum hoste, castra fortunamquè tentando. Vale, Capuæ.

NOTÆ.

ROmanorum bellum cum Carthaginensibus triplex fuit. Primo, teste L. Floro commissum, secundo profligatum, tertio consummatum est. Dux Romanorum qui classe in Affricam trajecit, fuit M. Attilius Regulus, qui à Xantippo Lacedæmoniorum Duce in auxilium misso captus & primus in hostium potestatem vivus pervenit. Secundum bellum ab Hannibale Saguntum oppugnante illatum est; contra quem in Hispaniam profectus

est P. Cornelius Scipio: in Siciliam Sempronius. Postquam verò populum Romanum continuo ordine tribus præliis ad Ticinum, ad Trebiam flumen, ad Trasimenum lacum, superaverat & quarta insuper vice ingenti clade ad Cannas affecerat, ab ea victoria omnẽ Campaniam deditione cepit. Sed Capua urbs Campaniæ nobilissima, cum à Romanis obsideretur, hac Epistola à Bosthane ac Hannone revocatus est Hannibal, ut laborantibus succurreret, quod tamen impeditus præstare non potuit.

VIII.

MARCELLUS CONSUL S. P Q. R. S. D.

ETsi scio vobis Quirites non gratum nuntium allaturum, cæso ad Herdonem Fulvio proconsule cum tredecim millibus hominum: veruntamen nihil est quod terreamini. Ego enim, idem

idem qui post Cannensem pugnā ferocem victorem Hannibalem, contudi, adversus eum cum instructis legionibus iter arripui, brevem illi lætitiam, quâ exultat, facturus. Quare omnes vel præsenti animo esse magnoperè volo. Valete ex Samnio.

NOTÆ.

INsignem Claudij Marcelli fuisse virtutem in vita ipsius testatur Plutarchus. Ut enim Q. Fabius Maximus Clypeus; sic Marcellus Ensis Romanorum appellatus, iterumq; Fabio in collegam Consul creatus & adjunctus fuit, ut ejus audacia Fabij cunctationem temperaret. Hannibalem itaq; solitum fuisse dicere ajunt, se Fabium ut præceptorem; Marcellum verò ut pugilem formidare. Cannensi verò clade elati Pœni cum undiq; palantes omnia diripiebant, eosq; Marcellus sine ordinè vagantes perspiciebat, impetu in illos facto, pas-

sim contendit. Hæc cum illis quæ sequuntur persequitur Plutarchus, ad quæ in hac ad Romanos Epistola respicit Marcellus eisq; licet etiam sub Fulvio proconsule clade affecti fuerint, victoriam pollicetur. Primus verò, victoria ad Nolam Annibalem anteà invictum post cladem Cannensem, vinci posse, docuit. Anno M. 3756. ante C. N. 215. Syracusas A. M. 3760. cum Archimedes ejus conatus olim machinis inventis eluserat, cepit. Tanden V. Consul in prælio ad Venusiam occisus & à victore Hannibale magnificè sepultus est: A. M. 3764. Ante C. N. 207.

IX.

SYPHAX NYMIDARUM REX Scipioni Consuli S. P.

CUm ad me in Africam venisses, id inter nos actum est, ut paribus auspiciis bellum adversus Carthaginenses gereretur, tuq; quam primum cum legionibus

bus in Africam trajiceres. Nunc « verò ea rerum mutatio facta est, ut « filiam Asdrubalis Carthaginensis « uxorem duxerim, quem & jure « hospitij & affinitate conjuctum « deserere scelus maximum censeri « possit. Adde etiam quod publico « fœdere omnia cum populo Carthaginensi mihi juncta sunt. Quare te hortor primum ut procul ab Africa, sicut adhuc fecerunt Romani, bellum geras, ne mihi interesse certaminibus eorum armaq; aut hæc aut illa abnuentem, alteram societatem sequi necesse sit. Scias enim velim, nisi Africa absti- « neas & Carthagini exercitum ad- « moveas, mihi necesse for
terra Africa, in qua sum g
pro patria Conjugis m
parentibus ac penatibus c « «

Erit igitur tuæ prudentiæ, quod optimum consilium videbitur capessere, dignitatisq; meæ aliquam rationem habere. Vale.

NOTÆ.

DE Syphaci cum populo Romano foedere videatur Plutarchus in Scipione Africano: illi ab eo fuisse renuntiatum ex hac apparet Epistola: quid Scipio responderit ex altera. Quomodo verò à Scipione captus & cùm Numidis nobilissimis & infinitis spolijs Romã missus fuerit, videatur apud „ Livium lib. 10. Deca. 3. Talis eventus „ rupti fœderis ac societatis cum Roma„ nis initæ fuit Syphaci, regi Numidarum „ potentissimo.

X.

„ SCIPIO SYPHACI REGI
S. D.

„ NIhil est omnium homi„ um quem magis fides de„ ceat quam Regem. At literis

quas

quas proximè accepi, adeo dignitatis tuæ oblitus es, ut etiã pro tuẽdis Carthaginensium rebus adversus populum Romanum in acie te staturum dicas. Quare te etiam atq; etiam moneo, ne jura hospitij mecum, non cum populo Romano initæ societatis, neu fas, fidem, dextras, Deos testes atq; arbitros conventorum, fallas. Si enim harũ omnium rationem habueris, polliceor tibi in meq; recipio futurum, ut & rebus tuis amplissimis accessiones maximæ fiant, & dignitati nominiq; tuo optimè prospicias. Vale.

NOTÆ.

CUm vero verius sit illud Poetæ:

Omne animi vitium, tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur:

„ Inconstantiæ & lubricæ fidei crimen
„ ijs imprimis vitandum esse monet Sci-
„ pio, qui in illustri majestatis loco sunt
„ constituti. Cum enim fides inde, se-
„ cundum M. Tullium, nomen accepe-
„ rit, quasi fiat quod dictum est, sine di-
„ gnitatis jactura, ab ijs quæ dicta sunt,
„ neminem hominum, multò minus eo-
„ rum quendam qui in summo dignita-
„ tis gradu præcellunt, recedere posse ac
„ debere manifestum est. Pactorum itaq;
fœderis atq; societatis cum Romanis
initæ si rationem habuisset Syphax, in
tantam calamitatem justissimâ numi-
„ nis divini vindictâ, non incidisset. Est
„ verò memorabile exemplum Masinis-
„ sæ observandum, Sophonisbam Sypha-
„ cis conjugem connubij fœdere sibi te-
„ merè copulantis, cui roganti fidem de-
„ derat, se, ne in Romanorum potesta-
„ tem veniret, hac ratione curaturum,
„ quod, dum se præstare non posse ani-
„ madverteret, ne fidem quam sanctè de-
„ derat violaret, venenum ipsi propinari
„ non recusanti jussit. Videatur Livius

lib.

lib. 10. Dec. 3. Post Scipionis de Africa triumphum pax Carthaginensibus data, annis 53. duravit.

CENTURIÆ

Castrensium Epistolarum,

QUARTA CORONA.

I.

S. P. Q. R. PORSENÆ Etrusco Regi.

SEdulò actum est perlegatos tuos de Tarquiniis Regibus admittendis. Sed res ea est, hujusmodi, ut brevi tota confici non possit. Mittimus ad te honestos patritiosq; viros ex quibus omnia

„ mnia facilè intelligas, ac imprimis „ eam esse omnium voluntatem, „ ut qui libertati in hac urbe finis „ erit, idem urbi sit. Proinde si sal- „ vam Romam esse velis, oramus ut „ liberam esse patiaris. Sed hæc o- mnia coràm per legatos nostros copiosius. Vale.

NOTÆ.

POrsena Etruscorum Rex à Tarquiniis ejectis ut se in regnum restitueret rogatus, copiis instructis maximis illis succurrendum putavit. Quibus verò armis ac viribus urbem invaserit, quanta virtutis laude Publicola, Horatius Mutius & Clælia virgo illi restiterint: quibus conditionibus legatis utrinq; missis pax tandem constituta fuerit, videatur apud Plutarchum in Publicola; L. Florum lib. 1. cap. 10. Livium Dec. 1. lib. 2. Incidit hoc bellum in annum M. 3465 A. C. N. 506.

S. P.

II.

S. P. Q. R. ÆQVIS.

CUm Q. Fabius ex vobis paulò antè pacem Romam tulisset, æquum erat ut idem Româ vobis volentibus bellum afferret. Quorum autem perfidiâ ac « perjurio bellum excitatum sit norunt Dij ipsi testes & ultores. Ve- « runtamen utcunq; levitate vestrâ res cesserint, liberum est vobis Pœnitere, aut hostilia à nobis pati. Si « vos Pœniteat, tutus receptus ad ex- « pertam clementiam patet: sin per- « jurio gaudebitis, id memineritis, « vos hoc intempestivum bellum « majori Deorum immortalium « quàm hostium irâ, vestro etiam « incommodo maximo gesturos. « Valete ».

NO-

NOTÆ.

ROmani per annos ferè quingentos cum Italiæ solùm populis bella gesserant, ex quibus nunc victi nunc victores, Latini, Falisci, Samnites, Etrusci, Vejentes & Æqui, acerrimè restiterunt & subinde rebellarunt. Ne verò á Fabio victi Æqui iterum rebellarent atq; sui perjurij pœnas darent, à Romanis hac „ Epistola monentur. Tandem verò cum „ quiescere nollent, tristissimâ clade af- „ fecti, intra 60. dierum spatium consu- „ les 41. oppida Æquorum capiunt, quo- „ rum pleraq; diruta & incensa fuerunt, „ Æquorumq; nomen propè ad interne- „ cionem deletum fuisse, A. M. 3668. A. C. N. 303. ex Livio asserit Bucholz.

III.

S. P. Q. R. M. Claudio MARCELLO proconsuli.

„ MIlitibus, qui ad Cañas Com- „ militones suos pugnantes „ deseruissent, nobis prorsus vi-

videtur non rectè Rempub committi. Si tibi aliter videbitur, facias quod è Repub. fideq; tua duxeris, dum ne quis eorum munere vacet; neu donó militari virtutis ergo donetur; neu in Italiam reportetur, donec hostis intra Italiam erit. Vale.

NOTÆ.

IN militia multos galeatos inveniri lepores qui violenti ad prædas, ignavi ad prælia apparent; quibus, ut ad populandos finitimorum agros tectaq; urenda & capienda pecora, aliqua vis sit: ita in acie & signis collatis nulla est, ex Cornificio & Livio recenset J. Lipsius polit. lib. 5. cap. 8. Tales cum fuerint qui commilitones ad Cannas pugnantes deseruerant, quomodo in eos animadvertendum, à S. P. Q. R. Marcelli, adhibitâ quàdam limitatione, arbitrio committitur. Tali disciplinæ Severitate Romani milites, ne & ipsi sæpius galeati

galeati fierent lepores in officio continebãtur. De veterum cum nostri temporis disciplina collata videatur Elias Reusnerus in Thesauri bellici libri 1. cap. 21.

IV.

M. F. CAMILLUS DICTATOR S. P. Q. R.

JAm pridem nuntiatum vobis fuit, P.C. in agro Nepesino non modo hostes à legionibus nostris fusos fugatosq; fuisse, sed castris quoq; totis exutos, indeq; ex ingenti præda quæstorem magnã vim pecuniarum cepisse. Cum autem ad Vejos exercitus deductus sit, certamq; mihi victoriam in manibus prorius videam, hujus opulentissimæ Urbis oppugnatione spoliisq; maximis tantum prædæ futurum compertum habeo, quãtum non omnibus in unum collatis

tis ante bellis superfuerit; Senatum super partiendæ prædæ, difficili negotio, consulendum dux i A vobis igitur P. C. peto, ut me de tota hac re spoliisq; hostium certiorem faciatis, ac propediem omnia nobis ex sententia cessura pto certo habeatis. In castris ad Vejos.

NOTÆ.

VEjos, Urbem opulentissimam, Athenis non minorem fuisse, ex Dionysio asserit J. Stadius, in commentariis in L. Florum ab Urbe intra vicesimum lapidem distantem. Hujus verò urbis cives Vejentes, Fidenatium causa primum in Romanos arma moverant, sæpiusq; rebellantes in pace nunquam fidi, agris Romanorum depopulatis, Fidenatibus occidendi quoq; Romanorum legatos authores fuerant; legatis eorũ & ipsi læsis, totam Etruriam cõtra Romanos ad arma concitaverãt.

Patientiâ itaq; Romani populi toties læsâ, decretum est, urbem infidam oppugnandam funditusq; delendam esse. Hinc cum Nero domum ædificaret amplissimam, editi sunt hi versus, teste Suetonio in Nerone:

Roma domus fiet, Vejos migrate Quirites,
Si non & Vejos occupat ista domus.

" Deleta verò fuit hæc Urbs decennali obsidione pressa, à M. F. Camillo Dictatore, anno urb. C. 357. A. M. 3569. ante C. N. 402. à Romanis primùm obsessa. De spoliorum distributione, urbisque expugnatione L. Flori sunt verba, lib. 1. cap. 12. circa finem. Deniq; non scalis nec irruptione sed cuniculo & subterraneis dolis peractum urbis excidium. Ea deniq; visa est prædæ magnitudo, ut ejus decimæ Apollini Pythio mitterentur, universusquè populus Rom. ad direptionem Urbis vocaretur. Hoc tunc Vejentes fuêre, nunc fuisse quis meminit? Laborat annalium fides, ut Vejos fuisse credamus. Vide Liv.

CA-

V.

CAPUANI S.P.Q.R. S.

URbis nostræ institutum vetus fuit, ut afflictis periclitantibusq; amicorum rebus opem semper tulerit. Samnites bellum « Sidicinis nobis conjunctissimis in- « tulerant; quos dum pro viribus ab « hostium injuria vindicare nitimur, « cæsis profligatisq; copiis nostris, eò « devenimus, ut pro Laribus & focis « tandem nobis pugnandum sit. Ve- « rùm cum imprimis vestra interfit, cujus imperio Urbs Capua Sidicinicq; hostium an amicorum cedãt: rerum fortunarumq; nostrarum, quicquid bello superfuit, arbitrio vestro dandum censuimus. Si nos « defenditis vestri; si deseritis ho- « stium erimus. Capuam igitur & « Campaniam omnem vestris, an

Samnitium viribus accedere malis, deliberate. Pugnavimus tum pro Sidicinis, tum pro nobis, cum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti: Et ubi conflagrassent ad nos trajecturum incendium illud esse. Quod & facilè evenit. Nam & duobus exercitibus cæsis, eos sanguis effusus explere non potuit: non populationes agrorum; non prædæ hominum atq; pecorum; non incendia villarum; non ruinæ; non omnia ferro igneq; vastata; sed cupiditas explenda est ea; quæ Samnites ad oppugnandam Capuam cogit: aut delere urbem pulcherrimam, aut ipsi possidere volunt. Sed nos potius Romani beneficio vestro occupate eam quam illos habere per maleficium sinatis,

tis, opemq; labentibus nobis primùm feratis. "

NOTÆ.

SIdicini per injuriam à Samnitibus ut potentioribus oppressi, vicinorum Campanorum opem impetraverant, quibus victis in Campanos belli moles derivata fuit. Samnites verò Campuanos luxu & mollitiè fluentes adorti pugna fractos in urbem compellunt. Magna igitur clade affecti & in angustias extremas redacti auxilij mittendi gratia Romam legatos mittunt: sed ob societatem quam Populus Rom. cum Samnitibus habebat, auxilium illis non fuit decretum. Quapropter ut populum Rom. ad sua non ad aliena defendenda impellerent, hac Epistolâ per legatum missâ omnia Romanorum poteſtati subjecerunt. His precibus commotus Populus Rom. non pro se sed quod est speciosius, ut inquit Florus, pro sociis Samnites invadit. Etsi enim cum utrisq; erat fœdus percussum:

„ hoc tamen Campani sanctius & prius,
„ omnium suorum deditione fecerunt.
Initium hujus belli incidit in annum
V. C. 410.

VI.

SCIPIO MICIPSÆ NUmidiæ Regi S.

JUgurthæ tui, bello Numantino longè maxima virtus fuit: quã rem certò scio tibi gaudio esse. Nobis ob merita sua carus est: ut idem Senatui populoq; Romano sit, summâ ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor. En habes virum dignum te atque avo suo Masinissa.

NOTÆ.

DE Masinissæ Numidiæ Regis virtute & gloria: de Micipsæ filij in regno successione: de filiorum Hiemsalis & Adherbalis afflictione ac misera; deq; Jugurthæ ex concubina nati nefandis conatibus & bellis, prætera-

lios

lios videatur Saluſtius, de bello Jugurthino. Cum enim indolis & virtutis ſpes egregiæ in jugurtha eluceret, eaq; Patri Micipſæ cum ob ſuam tum filiorum ætatem ſuſpecta eſſet, quâ ratione illum belli periculis objectaret, conſilium inivit. Quoniam verò egregia ingenij ſui præſtantiâ, bello Numantino P. Scipionis, Africani dicti, favorem & ſtudium ſibi comparaſſet (bello enim erat ſtrenuus & conſilio bonus) de multis rebus ab ipſo præclarè admonitus, hiſce cum literis ad Micipſam fuit remiſſus. Hinc animum erga illum quomodo flexerit Micipſa, quomodo eam adoptatum teſtamento cum filiis pariter heredem inſtituerit: quâ arte & verſutiâ crudeliſſimâ regnum Jugurtha ſolus occupare conatus fuerit: quo eventu bellum hoc varium tandem finitum ſit, vide apud hiſtoricos & illum potiſſimum, cui ob ſententiarũ gravitatem J. Lipſius in præfatione in C. Tacitum inter Latinos in Senatu hiſtorico primum locum aſſignavit.

VII.
M. BRUTUS RHODIIS.

XAnthios cum à nobis defeciſſent, extremo ſupplicio affecimus. Nam usq; ad parvulos omnibus cæſis, eorum patriam igne & ferro diruimus. Pataræis, quia fidi nobis extiterunt, tributa ſanè relaxavimus, ac liberos, & ſui juris eſſe conceſſimus. Atqui pro reſtauratione eorum quæ demolita erant, quinquaginta talenta remiſimus. Liceat & vobis conſulere, ac videre utrum nos pro hoſtibus, quemadmodum Xanthij, an pro amicis ceu Pataræi, habere velitis.

NOTÆ.

M. Brutum Platonis doctrinæ imprimis addictum fuiſſe, Laconicasq; quasdam ſcripſiſſè epiſtolas Græcas,

cas, testatur Plutarchus, in Bruto. De Xanthiorum interitu & Pataræorum venia idem cum aliis Bruti & Cassij personam concernentibus videatur Plutarchus. Hanc Epistolam vide in Laconicis Epistolis M. Buchleri quæ inter Bruti E. II.

VIII.

RHODII BRUTO.

XAnthios pro libertate resistentes cum atrociter tractaveris, non tamen Pataræos imitaturi sumus, qui muneribus pellecti servitutem potius subierant. Sed eorum abominantes fortunam ac sententiam damnantes in muneribus accipiendis, generositatem animi tenere conabimur. Nam decernimus libertatem etiam cum periculo fore præclariorem, quàm quæstu & muneribus adipisci refugium.

NOTÆ.

POstquam Cæsar à Cassio & Bruto in Senatu interfectus esset, eisq; & reliquis ejus percussoribus præmia decreta fuissent, Bruto Creta, Cassio Libya, Trebonio Asia, Cymbro Bithynia cessit. Ubi verò renuntiatum est, Cæsarem Octavianum Consulem esse factum, contraq; percussores Julij Cæsaris nitentem, Brutum & Cassiium per præconen in judicium acciri jussisse, seq; cum Antonio & Lepido junxisse, non mediocriter turbatus est Brutus: cumq; copias suas cum Cassio conjunxisset communicato consilio quomodo Reipub. consulendum esset, Cassius Syriam, Brutus Macedoniam petivit. Quomodo ad Lycios Brutus pervenerit, Xanthum obsidione Cinxerit, Pataræis captas mulieres reddiderit, omnia dilucidè à Plutarcho in Bruto enarrantur.

IX.

BRUTUS COIS.

Rhodus

RHodus quidem Cassio jam servit, civitas sanè magis audax, quam propriis viribus firma existens. Lycia verò nobis universa patet, partim bello domita, partim ne extrema subiret. Quæ sanè optio profuit illis. Nam volentes ea elegerant, quæ non multò post inviti fecissent. Eligite igitur vos, utrum coacti bello servire an nos recipiendo amici dici velitis.

NOTÆ.

RHodios satis animosos contra Brutum, à Cassio fuisse domitos ex hac constat Epistola. Cos verò insula in Ægæo vel Icario mari sita, Rhodi vicina, Apellis & Hippocratis patria, vino optimo fuit celeberrima. Et hanc non intentatam à Bruto fuisse relictam apparet. Lyciæ expugnationem paucis etiam in Bruto attingit Plutarchus.

Quid

Quid Coi responderint, patet ex sequentibus.

X.

COI BRUTO.

„ NEC Rhodiorum oppressio, qui tua jussa spreverant, nos sanè terret: nec Lyciorum „ cum adulatione prosperitas nobis „ fiduciam aliquam exhibet. Quippe spes atq; timor inter amicos exi„ stimari debent: sed apud eos qui „ alieni effecti jam sunt, omninò „ contemnuntur. Nos autem qui „ supra ad te accessimus, id unum „ prorsus dolemus, si aut minis aut „ pollicitationibus nos, ut pecora, „ trahere mediteris. Velis igitur ha„ bere nos potius in exemplum, „ quàm aliorum exempla.

NOTÆ.

QUid responsi à Cois tulerit Brutus satis ex hac patet Epistola. Quem autem

autem vitæ exitum fortitus fuerit Cassius, qui re malè contra Cæsarem & Antonium gestâ, servo ad id servato, jugulum præbuerit: qualem Brutus ipse gladio suo incumbens habuerit, Plutarchus dicto in loco recenset. Notandum verò alium fuisse Cassium Parmensem poetam, qui, ut Acron in Epistolam lib. 4. 1. Horatij author est, sub Cassio & Bruto Tribunus militū fuit, ultimusq; ut ait Vellejus Paterculus lib. 2. ex interfectoribus Cæsaris morte pœnas dedit, cujus de Orpheo carmen aureis literis dignissimum, juniorum in gratiam subscribendum videtur:

Cassij Parmensis Orpheus.

Arguta primùm cū plectra parentis & auro
Distinctam Cytharam sumsit Rhodopëjus heros;
Ridebant segnes pulsus digitosq; micantes
Serius & Chordis indocta dissona vocis.
Mox pudor exardens & dulcis gloria honesti,
Lusibus avertit puerilibus: omnis & illuc
Perditus incumbens, Musæ pallebat amore.

Et

Et nunc maternis inhians nunc ille paternis
Cantibus, hinc illinc discens dependet utrinq́;:
Nulla venus faciem cœpit mentita dolosis
Compedibus: somni fuerat parcusq́; Lyæi.
Donec ridiculus dudum modulamine sylvas
Evulsosq́; suis scopulos radicibus egit;
Ausus & ire viam mortalibus inconcessam,
Pœnarum oblitos demulsit carmine manes.
» *Non levis ascensus si quis petit ardua: sudor*
» *Plurimus hunc tollit: nocturno exomnis oli-*
» *Immoritur; delet quod mox laudaverat in se,*
» *Qui cupit æternæ donari frondis honore.*

CENTURIÆ

Castrensium Epistolarum,

QUINTA CORONA.

I.

JULIUS CÆSAR IMP. M. T. Ciceroni.

RECTÈ auguraris de me, unde & tibi cognitus, nihil à me abesse longius crudelitate. Atq; ego cum ex ipsa re magnam capio voluptatem; tum meum factum probari abs te triumpho & gaudeo. Neq; id me movet, qnod â me dimissi, discessisse dicantur, ut rursus mihi bellum inferant. Nihil enim malo quàm me « similem esse mei & illos sui. « Vale.

NO-

NOTÆ.

„ PRæclarum est illud Poetæ:
„ *Sis pius imprimis; nam cum vincamur ab omni*
„ *Munere, sola Deos æquat clementia nobis.*

Hanc divinam virtutem miris modis in Cæsare extollit pro M. Marcello Tullius. Etsi verò illi qui à Cæsare victore in gratiam erant recepti, malam ei gratiam, cum ab ijs in Senatu oppressus fuerit retulerunt: hujus tamen virtutis laudem adeptus est sempiternam ejusq; percussores infamiam reportarunt, pœnasq; ad unum omnes tandem justissimas dederunt. De causis hujus belli inter Julium & Pompejum civilis; de acie Pharsalica, de Julio tandem interfecto & Augusti in ejus percussores vindictæ studio acerrimo, videatur L. Florus lib. 4. cap. 2. Orosius lib. 6. Lucanus, Suetonius, Plutarchus in Julio, cum ipsius Cæsaris commentariis & similibus: de portentis Virg. 1. Georg.

D. Au-

II.

D. AUGUSTUS CAIO Nepoti S. D.

AVe, mi Cai jucundissime, quem semper, me dius Fidius desidero quum à me abes; sed imprimis diebus talibus qualis est hodiernus oculi mei quærunt meum Cajum. At ubicunq; fuisti, spero te hunc diem bene valentem celebrasse, quartum & sexagesimum natalem meum. Nam ut vides κλιματήρια, communem seniorum omnium tertium & sexagesimum evasimus annum. Deum autem Optimum Max. oro, ut mihi quantumcunq; temporis supereſt, id salvis vobis agere liceat, instituto Reipubl. feliciſſimo fortiter & viriliter agentibus, vobis succe-

centibus atq; suscipientibus stationem meam. Vale. VIII. Kal. Oct.

NOTÆ.

DE bellis C. Octaviani Augusti quæ sint prodita, deq; ejus felicitate perpetua ex historicis sunt notissima. De anno Climacterico 63. sic ait Gellius » lib. 15. cap. 7. Observatum est, in multa hominum memoria, expertumque » est, in Senioribus plerisq; omnibus sexagesimum tertium vitæ annum cum » periculo & clade aliqua venire, aut corporis morbivé gravioris aut vitæ interitus. Annus autem hic colligitur ex septies novem annis quo vitæ tempore multos magnos & mediocres viros mortuos esse ex historijs tàm veteribus quam recentioribus constat. Eodem climacterico extincti sunt Aristoteles & Virgilius, philosophorum & poetarum principes. Hic verò Cajus Augusti ex sorore fuit nepos, quem in filium adoptatum in forum produxit principemq; juventutis A. M. 3967. ante C. N. 4.

N. 4. creavit. Incidit verò hic Augusti annus Climactericus in annum Mundi 3920. ante N. C. 1. qui ejus Consalatus fuit ultimus. Mortuus verò est A. M. 3985. Anno C. 15. ætat. 76. imperij 56. dic. 19. August. A Monarchia Julij 61. à victoria Actiaca 44. vid. Bucholz.

III.

ALARICUS GOTHORUM Rex, Honorio Imp: Rom.

GEritur bellum propè Ravennam ab hinc triennio variâ fortunâ, maximâ utriusq; exercitus clade, quod libidine Siliconis, Ducis tui, nobis indictum est. Nos Italiam non vastaturi, sed habitaturi venimus: nec erat cur Stilico, Dux tuus, spe novarum rerum, te ad hoc bellum solicitaret. Non satis mihi constat, majorine « avaritiâ, an odio & perfidiâ huic « bello se immiscat. Peto igitur abs «

te (quando nobis Italia excedendum putas) eam saltem Galliæ partem copiis nostris incolendam dari jubeas, ad quam Suevi, Alani, Burgundiones, ducibus Vandalis „ irrupturi sunt. Nam & satius est, te „ ex amicitia nostra aliquos fructus „ capere, quàm ex simultate detri„ menta aliqua sentire: quandoqui„ dem militum nostrorum robore „ ijs populis imperio tuæ minitan„ tibus egregiè fortiterq; occurram, „ efficiamq; ut prius amicitiæ nostræ „ fructus quàm fœderum nostrorũ „ certos nuntios habeas. Vale, propè Ravennam in castris nostris.

NOTÆ.

THeodosio Imperatore defuncto, filij ipsius Arcadius in oriente, & Honorius in occidente ei successerunt, quos ipse vivus imperij consortes fecerat, Augustosq; nominaverat, Cum verò

rò propter ætatem Arcadio Rufinus, Honorio Stilico tutores adjuncti fuissent, uterq́, suam provinciam malitiosè & perfidè administravit. Ruffinus enim regnandi cupiditate incensus, quo Arcadium terreret, Alaricum Regem Gothorum sibi adjunxit, sed cum se Arcadij collegam esse postularet, à militibus Italicis ante tribunal oppressus, perfidiæ pœnas dedit. Sed postquã Stilico, Honorij anno 18. Radagisum, qui 200000. Gothorum in Italiam duxerat, oppresserat, exercitumque illius fame dissipatum, deleverat, reliquiæ ejus Alaricum regem creaverant, qui cum Italiam primo invaserat permissu Imperatoris suas copias in Galliam perduxit, quod hac Epistolâ ad Honorium videtur obtinuisse.

IV.

HONORIUS ROMANUS IMperator Stiliconi.

PEtijt à me per literas humanitatis plenas Alaricus Gotho-

rum Rex, ut sibi id loci in Gallia habitandum darem, quod propediem Suevi, Alani, Burgũdionesq; ingentibus copiis occupaturi videntur. Ego verò Regis illius amicitiam ac fœdera tanti facio, quanti ijs periculosissimis temporibus fieri debent. Video enim, si tot barbarorum exercitibus, qui nostris cervicibus imminent, occurrendum sit, totum imperium nostrum in discrimen vocari. Statuas igitur diem, quâ Alaricus cum exercitu Italiâ in Galliam excedat cui des velim eam potissimùm partem provinciæ incolendam, quæ hostium incursionibus ac direptionibus exposita est, illudq; te moneo, ut fidei ac diligentiæ semper memineris. Vale Constantinopoli.

NO-

NOTÆ.

CUm Alaricus Gothorum Rex A. M. 4371. in Italiam impressionem feciſſet, & anno ſubſequente à Stilicone Conſule pugna adverſus illum apud Pollentiam oppidum commiſſa fuiſſet, de illa ſic canit Prudentius lib. 2. adverſus Symmachum:

Tentavit Gothicus nuper delere Tyrannus
Italiam, patrio veniens juratus ab Iſtro.

Poſtquam verò de victis Gothis, autore Sigonio, M. anno 4373. Honorius triumphaſſet, pax fuit cum Alarico, imperatoris juſſu à Stilicone conſtituta, eiq; permiſſum ut Galliæ partem, cum exercitu occuparet, in qua ſe Alanis & Suevis opponeret.

V.

GALLA PLACIDIA HONORIO & Theodoſio Jun. S.

JAmpridem intellexiſtis Stiliconis Ducis perfidiâ & Gothorũ virtute captam ferè totam Italiam,

liam, urbemq; Romam post longam & gravem obsidionem in manus Alarici Regis devenisse. Ego verò quam primum mihi licuit, dedi operam, ut cædibus & rapinis aliquando temperaretur, & ut nomen Romanæ urbis unà cum aliqua libertatis specie viveret. Nam & Romanis magistratibus urbs reddita est. Illud etiam effeci, ut (si quando pacem & fœdera probetis) in tanta Imperij vestri ac rerum perturbatione, ab armis desistatur. Quod ut probetis, vos & moneo
„ & etiam atq; etiã rogo. Spero enim
„ futurũ, ut Adaulphum virum no-
„ strum, Regem optimum, vestrâq;
„ affinitate & benevolentia dignum
„ judicetis. Valete.

NOTÆ.

STilicoHonorij gener, cum in affecta-

ti

ti imperij suspicionem venisset, Honorij jussu, unâ cum filio Eugerio cui regnum erat paraturus, interfectus est. Cum itaq; Italia suo duce orbata esset, Alaricus omissâ Galliâ Romam contendit, biennioq; obsessam cæpit. Ibi Galla « Placidia, Theodosij primi filia, Arcadij « & Honorij soror, capta, & quia Alaricus « senio jam erat confectus, Adaulpho « Alarici cognato desponsata est, cujus « intercessione multa mala & incommo- « da ab Imperio amota fuerunt. Alarico « defuncto Rex designatus est Adaulphus paceq; propter Honorij affinitatem, constitutâ, ex Italia in Hispaniam recessit, ubi, cum ab exercitu esset interfectus, Constantio nupsit tãdem Placidia, ex quibus natus est Valentinianus tertius, Occidentis Imperator ultimus. Capta est Roma ab Alarico V. C. anno 1161. M. 4380. c. 410.

VI.

PRISCUS THEODOSIO Juniori Imper.

H S Tan-

TAndem transmissis ingentibus fluminibus, & superatis montium jugis altissimis, in Scythiam deveni aulamq; Attilæ regis attigi. Is habitat vicum instar amplissimæ civitatis, in quo lignea mœnia ex tabulis nitentibus fabricatæ visuntur, quarum tabularum compago ita solidum mentitur, ut vix ab intento oculo junctura possit comprehendi. Triclinia ambitu prolixiore distincta; porticus egregiè ornata ac disposita; area verò atrij ingenti ambitu cincta, ut amplitudo ipsa regiam domum ostentet. Rex Attila incessu est superbus, huc atq; illuc circumferens oculos, motuq; corporis ingenium ac barbariem demonstrat. Bellorum est amator, sed ipsemet non magnoperè manu

nu promptus; consilio satis maturo. Supplicibus immitis, favens ac fovens eos, quos semel in fidem ac clientelam accepit. Formâ brevis, lato pectore, capite graciliore, minutis oculis, rarus barbâ, canis aspectu, simeo naso, tetro colore, originis suæ signa præ se ferens. Is demum mihi totus visus est: Is belli apparatus, ut terris & imperiis omnibus cladem minitari soleat. Nam & quingenta hominum millia in aciem educere posse prædicant. Hæc volui te præmonere, ut scires periculosum tibi bellum imminere, cui quibus viribus occurrere valeas, tu pro tua prudentia videbis. Ego verò quanto ocius potero has literas subsequar, coramq; plura dicam. Vale.

NO-

NOTÆ.

CIrca Theodosij tempora, Attila Hunnorum Rex, Daciâ & Pannoniâ occupatis, vicinas regiones, Mysiam, Thraciam, & Macedoniam crudelissimè vastabat. Ejus itaque aulam, mores, & apparatum militarem cum perlustrasset Priscus, hasce ad Theodosium dedit literas, ut quantus cervicibus hostis immineret, intelligeret. Vide Procop. lib. 1. belli Vand. Bonf. Decad. 3. lib. 1. Theodosius hic junior Arcadij & Eudoxiæ filius, nascitur A. Christi 401. Convocat Synodum Ephesinam A.C. 430. Equo collapso afflictus moritur Constantinopoli, Anno ætat: 50. 28. Julij.

VII.

AETIUS PATRICIUS THEODORICO Regi.

DUm mutuo odio ac bello implicamur, Attila, Hunnorum Rex, innumerabilibus copiis Pannoniam, Romani Im-

Imperij provinciam, occupavit, Macedoniam, Mysiam, Achajam, & universam Thraciam ferro & flammâ vastavit; tantaq; imperij incrementa accepit, tantos exercitus comparavit, ut brevi omnia unico haustu absorbere videatur. Hæc cum ita sint, optimum & utriusq; saluti utile fuerit, ut nos communi impensâ ac periculo illi occurramus. Si enim Alanos, Burgundiones, Francos, Saxonesquè auxiliares copias habeamus, facilè & regna nostra tuebimur & pulcherrimas Romani Imperij provincias de hostium manibus recipiemus. Quod si quamprimùm „
capessere arma paribusq; auspiciis „
bellum hoc gerere neglexeris, vi- „
de, ne quando volueris vires illius „
imminuere, minimè possis. Nam „
tanta

„ tanta est Regis illius tum sævitia,
„ tum regni cupiditas, ut huic totus
„ terrarum orbis; illi universus ho-
„ minum cruor satis esse non possit.
„ Vale. Româ.

NOTÆ.

ATtila, Dei flagellum dictus, & Bleda fratres, Hũnorum Reges, anno C. 441. in Romani Imperij fines copias traduxerant maximas. Anno verò 444. Attila, ut ad culmen imperij solus ascẽderet fratrem Bledam occidit. Postquam itaq; anno C. 451. in Galliam irrupisset & ab urbis Aurelianæ obsidione, adventante exercitu Romano revocatus fuisset, pugna illa maximè memorabilis in campis Catalaunicis commissa est. Cum enim Aëtius optimo consilio, ut ex hac apparet Epistola, in aciem secum ducendum putasset aliorum quoq; auxilium, & imprimis Merovæum Francorum regem & Theodoricum adduxisset, quibus Alani & Burgundiones etiam juncti fuerunt,

tanta

tanta facta est pugna, ut ad 162. vel plura, hominum millia ceciderint. Etsi verò Aëtius prælio fuit superior, fugientem tamen Attilam, cum hosti fugienti argēteus pons, ut sapienter loquuntur, sternendus sit, persecutus non est. Redintegratis itaque viribus infesto cum exercitu Italiam invasit Attila, multasq; urbes crudelissimè evertit. Videantur, Procopius, Diaconus, Marcellinus, Sigebertus & Jornandus cum Bucholzero.

VIII.

AETIUS PATRITIUS CONsulibus Romanis.

MAximis itineribus in Galliam veni, legionesq; nostras ad Tholosam cum Theodorico Resigotharum Rege ac cæteris conjunxi: quod ubi primùm Attila rescivit, relicta Aurelienſi obsidione, propius nostros exercitus accessit ac copiam pugnandi fecit.

fecit. Sperabat autem barbarus
" hostis prælium sibi ex sententia e-
" venturum, cum per vatum respon-
" sa fortunam belli scisciatus, cæ-
" dem Imperatoris legionum no-
" strarum speraret. Pugnatum est
" magno ardore animorũ, diu neu-
trâ acie inclinante, aut cedente: sed
tanta hostium cædes facta est, ut
montium cadaveribus septi vide-
remur. Verùm nox superveniens
pugnam diremit, ad centum octo-
ginta millia hominum utrinq; in
acie ceciderunt, victoresq; maxi-
mâ gloriâ evasimus, ita tamen ut
Theodoricus egregiè pugnans in
altero cornu ceciderit. Attila fra-
ctus & fugatus in sua regna se re-
cepit. Tharismundus, Theodori-
ci filius, quam primùm recessit, ve-
ritus, ne cognita parentis nece, à
fratribus

fratribus regno spoliaretur. Nos verò reliquias exercitus instauramus ac speramus fore, ut pacatâ Italiâ & provinciis omnibus longo otio quietè fruamur. Valete ex castris ad Tholosam.

NOTÆ.

HÆc pugna in Campis Catalaunicis facta, incidit in annum mundi 4421. C. 451. Atq; hîc ingenti strage ac memorabili fusus est Attila ille, qui arroganter de se dixisse fertur: Stellas præ se cadere: terram tremere; universi orbis se malleum & Dei flagellum esse. A. M. 4422. C. 452. redintegratis viribus Attila Italiam maximis copiis invasit, urbesq; plurimas diruit atque funditus, (inter reliquas Aquileiam urbem potentissimam, ex qua Venetiarum Urbis florentissimæ Respub. originem traxisse dicitur) delevit. Distat verò hic Italiæ luctus à clade Cannensi annis 666, referente Bucholzero. Ro-

„ mam ipsam cum direpturus videretur,
„ à pontifice Leone placatus & exoratus,
„ nõ solum ab expugnatione urbis absti-
„ nuit, sed tota Italia excessit. A.M.4424.
C.454. à morte Pompeij Magni 500.
Attila Hunnorum Rex, Thorismundus
Gothorum, Aelius Romani exercitus
„ Dux interierunt. Attila armis invictus,
„ amore victus in nuptiis, sanguine è na-
„ ribus erumpente suffocatus est: Aetij
„ interitum ex Procopio, Marcellino &
„ Diacono refert Bucholzerus in indice
„ Chronologico. Fuit verò Aetius vir
„ bellicosissimus & ad defendendam
„ Remp. natus esse videbatur. Sed gratia
„ ejus meritis indigna illi fuit relata. Ma-
ximi enim persuasione Valentiniano
suspectus cum esset redditus, quasi no-
vis rebus studeret & Imperatori omnẽ
rerum gestarum gloriam sua laude eri-
peret, è Gallia Romam vocatus nil tale
veritus vel metuens; interemptus est.
„ Valentiniano interroganti an mors Aẽ-
„ tij Reipub. utilis esset? Respondit qui-
„ dam ex familiaribus, hoc ipse videret:

sed

se id scire quod Imperator illum occi- «
dendo sibi dextram alterâ manu præ- «
ciderit, quod ipso etiam eventu com- «
probatum est. «

IX.

THEODORICUS OSTROGOthorum Rex Zenoni Imperatori Constant:

MUltis maximisq; tuis erga me officiis quanti amicitiã nostram faceres, cognovi, eâq; imprimis ratione, quod mihi equestrem statuam ex ære in rostris erexeris; Patricium declaraveris; exercituiquè nostro stipendia ampliſſima dederis. Verùm cum mihi jampridem nuntiatum sit, Italiam totam Odoacri armis cessisse, diuq; in contumeliam Rom: Imperij eam provinciam detineri; mihi gratiſſimum feceris, si me, cum exercitu ad deturbandum O-

doacrum regno Italiæ proficiſci patiaris, mihiq; perveteri neceſſitudine tibi conjuncto hujúsce profectionis author fueris. Cur autem „ id tibi minus placere debeat non „ video; ut amico potius quàm hoſti Italia pareret, cum Viſigothæ, „ Suevi, Alani, Vandali, Burgundiones, Heruli & Thuringij, tum Italiam, tum etiam Galliam, Hiſpaniam atq; Africam ferro igneq; vaſtaverint. Hæc tecum pluribus non agam, ne tuæ erga me benevolentiæ diffidere videar. Vale.

NOTÆ.

CUm Odoacer Herulorum Rex Oreſte trucidato Auguſtuloquè ab Imperio remoto, Romam occupaſſet, primusq; Italiæ Rex in occidente 16. annos regnum obtinuiſſet, Theodoricus Oſtrogothorum Rex literas haſce ad Zenonem Imperatorem dedit. Fuit autem

autem hic Theodoricus dictus Veronensis, Theodorici filius, qui cum absente Patre Sarmatas, Romanorum & Gothorum ditiones devastantes, repulisset, à Zenone patriciâ & Consulari dignitate exornatus, cum exercitu in Italiam missus est. Postquam itaq; tribus vicibus Odoacrum superasset & profligasset illeq; à civibus Romanis excluderetur, omnibus quæ attingere potuit, ferro & flammis consumptis, Ravennæ se inclusit, ubi triennali obsidione pressus, Theodorico se tandem dedit à quo postmodum per sicarios in convivio fuit obtruncatus. Hac ratione Theodoricus Italiæ Rex factus, annos ibi 33. regnum administravit, Italiamq; in pristinum statum restituit. Anno M. perijt Odoacer 4463. C. 493.

X.

THEODORICUS ZENONI Imperat. Constantinop.

AD statutam diem ex Pannonia castra movebam, cum in

Noricis Strapiliâ Gepidarum Rex armatus mihi fit obviam: hunc primùm prælio fudi ac fugavi: eodem fermè tempore Busarim, Bulgarorum Ducem, mihi infestum delevi. Quamprimùm verò Italiam attigi, Odoacrum apud Soricium, Aquilejæ flumen, cum instructo exercitu obviam habui, quē etiam cruento tamen prælio vici. Is ad Padi vada & loca munitissima delatus aliquantisper substitit: Ego Veronam Urbem, dedentibus se civibus, recepi; Odoacrum in campis patentibus Veronæ subjectis, secundò fudi. Victus Odoacer Romam petens à populo Romano exclusus est, suburbana loca incendens Ravennam se contulit: per legatos tentavit animos populorum, ad cujus partes multi accolæ

læ Padi fluvij & Astupha præfectus Flaminiæ Æmiliæquè transierat. Demum Ticino movens Ravennam contendi urbemq; ac hostes eâ obsidione cingo, ut aliquando sperem ex sententiâ huic diutino bello finem impositurum. Vale. In castris propè Ravennam.

NOTÆ.

QUomodo Theodoricus Stapiliam Regem in Noricis fugaverit: Busarim Ducem deleverit, Odoacrum ad Soricum flumen vicerit, in Veronæ campis secundò fuderit, Ravennamq; obsidione cinxerit, ex hac manifestum est Epistolâ. Gepidas verò, qui nunc Sepusij sunt, partem fuisse Gothorum, & Ardaricum Gepidarum Regem, Attilæ filium vicisse, in Chronico Carionis lib. 3. exponitur. De Bulgaris vide eundem in Constantino eodem libro.

CENTURIÆ

Castrensium Epistolarum,

SEXTA CORONA.

I.

THEODORICUS OSTROG. Rex, Zenoni Imp. Const.

NIhil est quod desidiæ me accuses, quod nimis serò de ijs quæ hîc gerantur, te certiorem faciam: multa ad te rumor ipse attulit. Id scias velim, me diu ac multum in hac Ravennæ obsidione laborasse. Ea enim fuit hujusmodi, ut sæpenumero ab Odoacro eruptione factâ de fortunis omnibus dimicandum fuerit. Veruntamen bis & fractus & in urbem conjectus est. Totum trienni-

um

um in hac Urbe consumsimus; hostis, hortantibus eum civibus, se nobis dedidit: ego quamprimùm « in Urbem ingressus sum, de Odoacro & filio supplicium sumpsi, qui « agros incenderat, urbes everterat, « tantumq; ubiq; locorum humani « sanguinis effuderat. Hæc volui ne- « scius ne esses. Vale. Ravennæ.

NOTÆ.

RAvenna Italiæ urbs clarissima, & munitissima, triennalem obsidionem variâ fortunâ multoq; labore perpessa, in Theodorici potestatem, quod tandem pervenerit cum historicis hæc ostendit Epistola. Suppeditat verò exemplum qualem exitum tandem sortiri soleant tyranni qui in hominum viscera & sanguinem innocentissimum dominandi libidine grassantur. Exempla cum ubivis sint obvia opus non est eorum congeriem hîc coacervari. Capta est Ravenna cum Odoacer rerum

necessariarum inopia victus, se Theodorico dedidisset, 3. Kal. Martij A. C. 493. M. 4463.

II.

HORMISDA PONTI: ROM: Justino Imperat: S.

Misseram jampridem legatos ad Anastasium tuum, ut dissidia nostra de religione & sacris rebus conciliarem; quos ille legatos contra jus gentium maximâ contumelia affectos eâ conditione à se rejecit, ut navi quassâ & rimosâ in Italiam rectâ redirent, nec ullum Græciæ littus contingerent. Hac injuria deterritus diu ac multum dubitavi, qua ratione potissimum mihi tecum agendum foret. Verebar enim ne Campano Episcopo ac cæteris legatis meis, quos ad te destinaveram, aliquid hujusmodi eveniret. Postremo vir-

tus

tus tua amorq; erga nos singularis, adde etiam Theodorici nostri Regis testimonium effecit, ut eos ad te mittere non vereremur; à quibus viris optimis deq; tota Christiana Repub. bene meritis in omni genere, nihil est quod expectare non debeas, idq; tibi persuadeas nos in illos authoritatis, gratiæ, ac amplitudinis nostræ vim omnem effudisse, eosq; esse hujusmodi, ut doctrinâ pietate, ac rerum usu pares ijs nullos facilè comperias. Vale.

NOTÆ.

ETsi Anastasius Imperator antequam coronaretur, Chirographo suo promiserat, jurejurandoq; confirmaverat, se nullum dogma novum, dum imperaret in Ecclesiam introducturum; sed decreta Chalcedonensia rata habiturum esse: his tamen neglectis syngraphaam suam reposcere & ad partes

partes Eutychianorum transire, & Catholicos orthodoxos premere ausus fuit. Cum Hormista Pontifex illum, ut de hæresi Eutychis discederet monuisset, rescripsit non tantum his ver-
» bis: Nos imperare volumus: nobis im-
» perari nolumus: sed quibus injuriis le-
» gatos affecerit, his literis ostenditur.
» Eum verò hujus impietatis, fulminis
» ictu percussum pœnas dedisse, prodi-
» tum est memoriæ. Cedrenus, Zonaras, Evagrius, eum tonitru perterrefactum, ex alio in alios thalamos se conferentem, in regio quodam cubiculo mortuum esse inventum, tradunt, anno M. 4488. C. 518. cum imperasset annos 27. mens. 3. d. 3. vixisset annos 88. Huic in imperio successit Justinus ad quem à Pontif. R. hæ datæ sunt literæ.

III.

THEODORICUS ITALIÆ Rex, Justino Augusto.

VIx ferre possum clamores & ejulatus multorum qui fortunis

tunis ac rebus omnibus dispoliati, quotidiè se nobis offerunt, auxilium fidemque nostram implorant. Cum autem diligentius casus & eorum calamitate sciscitatus fuissem, eos ita malè mulctatos à te audiebam, quod Arrianos & â Rom: Eccleſia desciscentes comperisses. Ego verò has quæstiunculas nunquam tanti feci, ut provinciarum & imperij incēdia inde excitari debere judicem. Quare abs te humanissimè peto, ut horum Arrianorum causam mitiori ratione tractes, eosq; quam commendatissimos habeas: quorum salutem & incolumitatem quanti faciam, Joannes Rom. Pontif. Theodorus & duo Agapiti coràm meo nomine tibi declarabunt. Quod si secus atq; debes, erga illos animatus fueris,

ris, ac usq; ad internecionem insectari volueris, id pro certo habeas, me omnes Italiæ Ecclesias Romano Pont. faventes, de moliturum, deq; sacris & religiosis viris sævissimè supplicia sumpturum: idque tum in ultionem innocentissimorum hominum, tum ob tuendam dignitatem nostram, efficiemus. Quæ incommoda, si evenerint, ea potius ingenij tui pertinaciæ, quã sævitiæ nostræ asscribenda erunt. Vale, Ravennæ.

NOTÆ.

THeodoricus, ut author est Procopius, omnibus ornamentis, quæ verè Imperatori congruunt, sese com-
„ muniverat. Justitiæ studuerat pluri-
„ mum: in subjectos ne minimum quip-
„ piam ad injuriam exercuerat: nulli su-
„ periorum Imperatorum inferior, ita ut
„ ejus imperium omnes delectaret: infir-

mitatis

mitatis tamen exemplum humanæ insigne reliquit, quæ virtutum & laudum suarum comam, rarò ad maturitatem usq; retinet & conservat. Non solum enim Arrianâ lue infectus fuit, sed etiã præstantissimorum virorum Symmachi & Boetij internecione pristinam virtutem omnem deturpavit. Justinus verò Imperator Orthodoxæ fidei studio Arrianam hæresin extinguere, eorumq; Ecclesias Catholica religione consecrare instituerat. Sed cum hoc Italiæ Rex Theodoricus audivisset, Joannem Pontifi: Romanum cum his literis comminatoriis ad illum misit, quem tamen Constantinopoli reversum Ravennam accersivit & carcere incluſum, fame, siti cæterisq; carceris incommodis necavit, A.M. 4496. C. 526. 15. Kal. Julij. Hac legatione commotus Justinus Imperator Arrianis sua templa reddidit eosque persequi destitit.

AMAL-

IV.

AMALSUENTA ATHALARICO filio Gothorum Regi.

NIhil unquam mihi antiquius fuit, quàm te doctrinis & moribus optimis instituere: sed per Procerum Ducumq; tuorum improbitatem id nunquam licuit mihi ex sententia efficere. „Existimarunt enim rudes homines „Regem suum sub præceptore mi„nimè esse debere: arma tibi magis „quàm omnes disciplinas usui futu„ra prædicant. Hæc satis iniquo ani„mo tuli. Nam scientiarum opti„marum cognitionem tanti, quanti „amplissimos thesauros semper fe„ci. Veruntamen cum animadverterim, ætatem; simplex ingenium tuum utriusq; fortunam perditorum hominum audaciæ obnoxi-

am

am esse, injuriæ quamprimùm obviam eundum duxi, perditissimaq; quorundam hominum consilia, anteverti, qui odia & simultates inter nos eximiâ pietate conjunctos disseminabant, quæ quasi præsentissimum venenum nos vitâ cum imperio facile privarent & everterent. Ravennam itaq; maximis itineribus contendi, captisquè aliquot noxijs, de ijs supplicium sumpsi, nihilq; prius duxi, quàm de ijs omnibus te quamprimum certiorem facere, monereq;, ut ab hujusmodi viris & insidiis, quantùm per ætatem posses, caveres. Lubrica est ætas; amplitudo imperij ea « est, ut sapientissimum virum, mul- « tis etiam septum consiliis, præcipi- « tem agere possit. Tu autem fili, ca- « ve existimes te ulli quàm mihi ca- « riorem esse. Vale.

NOTÆ.

ETsi aurea hæc Amalsuenthæ (quæ & Amalosuntha dicitur) Epistola, Thrasonum, Cyclopum & Centaurorum, præter ferrum nil curantium, ad gustum accommodata non est: aureis tamen literis est dignissima. Ad divinam enim Platonis accedit sententiam affirmantis, illis beatas esse Respub. ad quarum clavum sedeant sapientes, vel cũ ipsi Reges omnẽ vitam in sapientiæ disciplinis consumpsissent. Alphonsus ille sapientissimus, cum quendam non opus esse literarum & sapientiæ cognitione Regum filiis, affirmare audivisset: Bovis non hominis hanc esse vocem exclamavit. Vox igitur hujus Regi næ est sapientissima, quâ asserit, se optimarum disciplinarum scientiam tanti, quanti amplissimos thesauros, semper feciſſe. Filia autem fuit Amalsuentha, Theodorici Gothorum Regis, qui eam Eutarico, Wildarici Hispanici Regis filio, desponderat. Ex hisce Parentibus natus est Athalaricus, qui patri Theodorico

dorico 8. annorum puer, in regno succeſſit. Cum verò mater unà cum filio ſingulari & excellenti prudentiâ primùm feliciter regnum adminiſtraret, duabus Gothorum voluntates offendit rebus, & quod filium in literis educari voluerit, & quod Ducum & militum licentiam juſtitiâ coercebat. Poſtquam autem filium à tribus principibus ad bellica exercitia & conſilia publica informari, permiſiſſet, illaq; quod plus licentiæ adoleſcenti regio in otio permitteretur, animadvertiſſet, ægrè admodum hoc tulit, ſupplicioque de nonnullis ſumpto, haſce ad filium literas miſit. Veruntamen voluptatibus indulgente filio, cum octavo ætatis anno mortuo eſſet, quo ſe muniret, Theodatũ in regni ſocietatem ſibi adjunxit, qui accepti beneficij immemor, ob injuſtitiam ab ea reprehenſus, carcere inclu-ſam & relegatam ſceleratè obtruncavit, nec longè poſt animi ſui ingrati pœnas juſtiſſimus perſolvit. Vide Carionem in Theodorico lib. 3.

V.

JUSTINIANUS IMP. THEODATO, Gothorum Regi.

CUm memoria repeto quibus te officiis Amalsuentha Regina affecerit, quamq; liberaliter post obitum filij te regni consortem delegerit, non possum non ingrati animi tui indignitatem accusare, quem non puduerit, mulierem omnium maximè memorabilem, optimis disciplinis ornatam multarumq; linguarum cognitione imprimis claram, in Insulam Vulinensis lacus relegatam, interficere, & ex carnificandam aliis dare. Vide tu, quem ego te philosophum apellem, & quâ ratione Platonem divinum sectari dicam. Profectò, si aliquem Deum ultorem scelerum supereſſe existimasses,

nun-

nunquam tanti sceleris tibi conscius Theodate fuisses. Tu tamen « tantæ cædis abs te patratæ aliquando Dijs immortalibus & mihi pœnas dabis. «

NOTÆ:

QUæ Justinianus Theodato qui ab aliis Theodabatus dicitur, in hac Epistola minitatus fuit, brevi post in effectum perducta sunt. Cum enim ei bellum indixisset, trepidus initio Italiam se Imperatori traditurum promisit. Exercitu verò Justiniani in Illyrio dissipato, animum mutavit, ejusq; legatos carceri inclusos retinuit. Belisarius itaque in Italiam missus, cum Siciliam recuperasset, Neapolimq; cepisset, Theodatus verò Romæ contra tanti nominis & gloriæ ducem nulla arma pararet, Gothi Vitigem Regem constituunt, quâ re cognitâ Theodatus Ravennam concessurus ex urbe fugit, quam Optares fugientem Regis Vitigis jussu interfecit, atque ita ingrati animi

crudelitatisq; in excellentissimam matronam, justissimas pœnas dedit. Bellum hoc cum Gothis susceptum 18. annis durasse, refert Procopius in Gothicis.

VI.

BELLISARIUS JUSTINIANO Imperatori.

SUperioribus literis, quam felici navigatione usus essem, te certiorem feci, paucisq; deniq; Insulam Siciliam de hoste recepi. Dumq; ibi aliquot dies commoratus essem, mihi nunciatum est, Theodatum à suis interfectum, Vitigemq; in Gothorum Regem electum. Ego verò è Sicilia solvens, in Campaniam veni ac urbem vi cepi. Inde verò Romam cum exercitu properans, urbem ingressus sum, tantumque terroris hostibus incussi, ut omnes relictis mœnibus & por-

& portis Ravennam confugerint. Sed cum mihi significatum fuisset, Vitigem multis legionibus ac ferè centum millibus armatorum Romam adventare, cum aperto Marte nequaquam ei par esse possem, mœnia urbis vallo ac fossâ quàm celerrimè munivi, obsideriquè tota urbs jampridem cœpta est. Quæ cum ita sint peto abs te, ut habito veteranorum militum delectu pro rei magnitudine exercitum ad obsidionem solvendam mittas. Nihil est enim quod quinque millibus hominum obsidionem solvere ac Gothos profligare « sperem us. Tota spes est in præsidio « ac celeritate tua. Igitur de pulcherrima provincia Romani Imperij agitur, ac gloriæ certissimus adest triumphus. Vale, Romæ.

NOTÆ.

QUantâ virtute & felicitate prædi-tus fuerit Belliſarius, per univerſum propè orbem innotuit. Quomodo itaq; Siciliam receperit, Neapolim occupaverit, Romam fugatis hoſtibus ingreſſus fuerit, obſeſſusquè à Vitigis exercitu, Imperatoris auxilium imploraverit brevibus in hac Epiſtola exponitur. Quod verò irrito conatu Vitiges Romam à Belliſario occupatam & ſtrenuè defenſam oppugnaverit; quod Gothorum exercitu cæſo vivus in hoſtium poteſtatem venerit; quod Conſtantinopolin à Belliſario perductus fuerit; quod à Juſtiniano inter Patritios relatus, imperij finibus adverſus Parthorum ſive Perſarum excurſiones tuendis præfectus, vitam ibi finiverit; procop: Jord: Diac: hiſtorici teſtatum fecerunt. A.M.4509. Chriſti 540 ea peracta ſunt.

VII.

PELAGIUS ROM. PONT. Juſtiniano Imper.

Tanta

TAnta est clades urbium Italiæ, tam magna incendia, ut jam nullus sit locus ab impetu & ira Totilæ immunis. Is Tybri transmisso Beneventum petijt, eamq; obsedit; Apuliam, Lucaniam ac Calabriam recepit; Duces tui urbes sibi creditas inter se partiti sunt: Joannes Romam, Bessus Spoletum, Cyprianus Perusiam, Justinus Fesulas, Constantinianus Ravennam accepere, quorum libido & auri amor usq; adeò crevit, ut ipsi præsides tui expilando provincias, Gothorum sævitiam æquare videantur. Nos Romanæ Urbis excidio eò magis timemus, quod obsessam Neapolim esse in maximo periculo intelligimus. Hæc cum ita sint, ut saluti paucorum prospiciatur, peto abs te, ut

quàm citissimè ac maximè poteris, novas legiones Ducesq; fide ac virtute præstantes, in Italiam mittas. „ Nam si diutius præsidia expecten- „ tur, acriusq; oppida premantur, ve- „ reor, ne conatus omnes vani irri- „ tiq; censeantur. Ijs vero perditissi- „ mis temporibus, tota spes nostra „ in Deo optimo maximo, virtuteq; „ tua sita est: qui si quicquam de tua „ diligentia curaq; remittas, de Im- „ perio Romano deq; Italo nomine „ actum iri videmus. Vale. Patavij.

NOTÆ.

FRactis, Vitige ad Justinianum perducto, Gothorum rebus, Totilas tandem Rex creatus fuit, qui Græcis Ducibus & Præfectis propter injustitiam, rapacitatem & in gubernatione discordiam omnium saniorum odio expositis, exiguâ manu magnam Italiæ partem brevi recepit, singulariq; virtute ac

teac felicitate illorum potentiam restauravit, urbibusq; captis plurimis ipsi quoq; Pontifici terrorem incussit. Hanc itaq; ad Justinianum Imperatorem scripsit Epistolam, in qua de Ducum perfidia avaritia&sævitia conqueritur, ejusq; auxilium & præsidium implorat. Vitigi successit Ildobaldus, huic Araricus, quo interfecto Gothorum imperium Totilas suscepit, A. M. 4511. C. 541.

VIII.

DIOGENES LEGATUS JUstiniano Imperat.

POstquam Bellisarius Italia excessit, imperium multa & maxima detrimēta accepit. Nam & Perusia quamprimùm Gothorum armis cessit; Calabria atq; Apulia amissa est: Urbs Portuensis in hostium manus devenit: denique accessit obsidio Romanæ urbis; quam tametsi tribus millibus veteranis

teranis militibus egregiè tueamur: tamen angustâ rerum omnium & cives & milites miserè afflictantur, » facileq; fieri potest, ut annonæ ca- » ritate & reliquarum rerum penu- » ria, & longæ obsidionis tædio vel » civium vel militum animi ad dedi- » tionem flectantur. Erit ergo pru- dentiæ invictiq; animi tui, afflictæ urbi Italiæq; laboranti opem fer- re. Si enim hæc ita magna funda- menta denuò à Gothis jacta subsi- stant, tale ædificium constrúi ab ijs videre videor, ut omnia Goth- orum imperio cessura facile cre- dam. Hæc quanti facienda sint, tu videris. Ego verò quod ad meas partes pertinet, dabo operam ut ijs rerum difficultatibus diligen- tiam fidemq; nostram imprimis probare homines Dijque possint. Vale, Romæ. NO-

NOTÆ.

QUod de Romæ obsidione veritus erat Pelagius, brevi tandem evenisse ex hac apparet epistola. Eundem itaq; in modum Imperatoris auxilium implorat, cum enarratione eorum quæ post Bellisarij ex Italia discessum ab hostibus occupata & attentata fuerint. Quid verò tam Pelagij quam hæ Diogenis literæ effecerint, ex sequentibus manifestum evadit.

IX.

BELLISARIUS TOTILÆ

S. D.

SI hoc bello victoriâ potitus fueris, Romamq; deleveris, rem non alienam sed tuam perditum ibis: sin victor servatâ urbe Româ, gratias immortales; deletâ verò humanitatem nullam à victore expectare debes.

NOTÆ.

ROmâ à Totila obsessâ, cum Justinianus Bellisarium cum exercitu in

in Italiam misisset, & se ad obsidionem solvendam sufficientem non esse Bellisarius vidisset, hasce ad illum literas dedit. Sed urbe post biennalem obsidionem captâ, Capitolioq; incenso cum tertia mœnium parte destructâ vacuam illam & deformatam reliquit Totilas. Bellisarius itaq; paulo post illam recepit, dissipatos cives revocavit, di-
„rutãq; reparavit. Totilas triennio post
„iterum Romam cepit, & quantum o-
„peræ anteà in ejus destructione, tan-
„tum studij in reparatione impendit,
„quo infamiam, quam superior desola-
„tio ipsi pepererat, novo beneficio man-
„suetudine atque clementiâ aboleret.
Quotquot etiam ad ædes sacras confugerant inviolatos esse jussit, ut author est Procopius. Incidunt ea in annum V. C. 1300. M. 4519. C. 549.

X.

FRANCORUM REX Totilæ.

SI ad amplitudinem regni tui ac

rerum

rerum gestarum gloriam respiciam, dignus profectò eras cui tutò filiam meam uxorem darem. Sed illud lævitiæ ac improbitatis me penitus deterrebat, quod te perditissimum Regum Romanam Urbem omnium præclarissimam incendere ac evertere non puduerit. Tantum enim abest, ut filiam meam tibi despondeam, ut tu etiam « tanti sceleris aliquando pœnas mihi daturus sis. «

NOTÆ.

QUalem repulsam à Rege Francorum Totilas tulerit, ex hac manifestum est Epistola. Notandum verò hoc in loco, Romam á Romulo & Remo conditam fuisse A. M. 3219. Ante N. C. 752. Et novies captam fuisse, primò à Gallis A. M. 3584. Ant. C. N. 387. 2. à Gothis Duce Alarico A. V. C. 1161. A. M. 4380. A. C. 410. 3. à Vandalis Du-

59

ce Genserico, ab Eudoxia Valentiniani Imperatoris uxore, à Maximo vi compressa, ex Africa accersito, A. V. C. 1206. M. 4425. A. C. 455. 4. à Ricimere Anthemij Imperat. genero, tertiò direptam, postquam ab Alarico & Genserico capta & direpta fuerat. A. M. 4442. A. C. 472. 5. Ab Odoacre Herulorum Rege, qui Oreste occiso Augustulum se imperio abdicare coegit. A. V. C. 536. M. 4446. A. C. 476. 6. à Bellisario Gothis exactis recuperatam; A. V. C. 1287. M. 4506. C. 636. 7. à Totila captam A. V. C. 1297. M. 4516. C. 546. 8. à Friderico Imperatore circa annum M. 5136. C. 1166. 9. Ab exercitu Caroli V. Imperatoris A. M. 5497. A. C. 1527. Vide Bucholzerum in Indice Chronolog.

CENTURIÆ

Castrensium Epistolarum,

SEPTIMA CORONA.

I.

NARSES DUX JUSTINIANO Imperatori.

CUm mihi nuntiatum esset, Tejam Gothorum Regem Nuceriam dedentibus oppidanis recepisse, eò copias & robur exercitus converti atque ad ejus conspectum deveni. Uterq; exercitus medio flumine se cernebatur, cujus pontem hostis occupaverat; per paucos dies multis levibus certaminibus & variâ fortunâ; demum totis viribus pugnatum est; in quo prælio Tejas

ipse confossus interijt, ea pugna usq; ad noctem intermissa non est. Cum Gothorum reliquiæ acriter pugnando aliquas pacis conditiones sperarent, ijs petentibus pax ita data est, ut quæcunq; oppida in tota Italia detinerent, restituerent Gothi; duas tamen urbes Galliæ Cisalpinæ, Lucam & Forum Cornelij reliquas habeant. Sed & illas nullo labore propediem capiemus. Hæc victoria hujusmodi est, ut Gothorum imperium prorsus excisum sit, nomenq; etiam propediem interiturum, quod annos septuaginta duos in hac provincia cum maxima gloria floruit. Centum millia hominum desiderati sunt: paucos autem, qui tantæ cladi superfuerunt, non Gothos, sed verius Italos appellare possumus.

Hæc

Hæc ad te paucioribus eò scripsi, quod de ijs omnibus multorum verbis certior fieri melius poteris. Vale. Nuceriæ.

NOTÆ.

HOc prælium, quod cum Teja Gothorum Rege Narses commisit, quóq; in Italia Gothorum imperium finitum est, incidit in annum M. 4522. C. 552. Successit autem Narses Belisario, qui exemplis inconstantiæ fortunæ aulicæ (qualis Seiani apud Tiberium, Severiani apud Severum, Eutropij apud Theodosium secundum fuit) annumerandus, qui dignitate & omnibus bonis spoliatus mendicando hac voce usus dicitur: Date Belisario stipem; quē « virtus ad summa evexit; fortunæ invi- « dia ad ima depressit. Quomodo verò « Gothorum reliquiæ se in urbe Lucæ & Foro Cornelij iterum collegerint, illæq; urbes expugnatæ fuerint, ex sequentibus manifestum evadet.

II.
NARSES JUSTINIANO Imperatori.

POst insignem pugnam, quæ ad Nuceriam facta est, cum prorsus nihil belli Gothici superesse existimarem; ecce tibi, Gothi, qui trans Padum erant, Lucam & Forum Cornelij instaurarunt, præsidia imposuerunt, & Duces Theobaldi in societatem asciverunt. Properè eò cum legionibus accessi, ad fluvium Auserim castra posui, cohortesque aliquot ad Forum Cornelij ire jussi: utraq; urbs acriter obsessa est. Luca septimo mense capta; Forum Cornelij paulo post expugnatum est, & ob civium improbitatem solo æquatum: reliquæ tam diuturni & varij belli tum veteranorum virtute, tum Dagistei

gistei Ducis egregiâ operâ sublatæ sunt, ac ita sublatæ, ut nihil sit quod à Gothorum armis perpetuò timeamus. Totum id bellum, « tametsi decem & octo annorum « laboribus ac impensis gestum est: « tamen tantum gloriæ tibi penes u- « niversos, futuris etiam temporibus « comparabit, ut Romanorum tri- « umphos & Itali nominis gloriam « unus viceris. Quæ omnia prospera « ac felicia tibi faxit Deus optimus maximus. Vale, Lucæ.

NOTÆ.

EXpugnatis duabus hisce Urbibus, reliquiisq; Gothorum debellatis, Italia tanquam orientalis imperij provincia Narseti gubernanda à Justinano permissa est, A. M. 4523. C. 553. à Julij Cæs. Monarchia 600. Justiniano enim « Imperatori & Juris civilis in ordinem « digestione & armorum gloria felicissi- «

„mo, in regum duorum Totilæ ac Tejæ „expugnatione & interencione operam „navaverat excellentissimam. Defuncto „verò Imperatore Justiniano, quæ gra- „tia ipsi relata à Sophia Justini Imp. con- „juge fuerit, ex sequentibus manifestum „erit.

III.

NARSES ALBOINO LONGOBARDORUM Regi.

NUllus est qui nesciat quantis laboribus ac periculis pro tuendo imperio & in Italia & ubiq; locorum decertaverim; „qui tametsi Gothos aliasq; gentes „consilio armisq; divicerim: invi- „diâ tamen, perditorumq; homi- „num audacia, me oppugnari, serò „tandem animadverti. Nam & Sophia Augusta Justino suasit, ut Longinum patricium mihi succes- „sorem mitteret. Fore enim melius, inquit,

inquit, impudens mulier, ut me Eunuchum ad dispertienda inter ancillas pensa, revocarent. His affectus contumeliis non possum non toto animo cõmoveri eoq; magis, cum videam servatã à me pulcherrimam provinciam libidini avaritiæq; hostium meorũ committi. Sed cum diu animo volvissem, quâ potissimum ratione Italiam è faucibus sceleratorum hominum eriperem: mihi imprimis dignus visus es, cui hanc nobilissimam provinciam quasi de manu traderem. Quare te etiam atq; etiam hortor, ut quam maximis poteris copiis quamprimùm Italiam petas. Nam tibi polliceor in meq; recipio, fore, ut nullis impensis amplissimo hoc imperio potiaris. Quod si hujusce cæli clementiam, agrorum, ferti-

„ fertilitatem, collium amænitatem,
„ urbium magnificas ædes, divitias,
„ opes aliquando cognoſces, huic
„ nullam provinciam comparanda
„ duces. Ego ut primùm copias tuas
adventare ſenſero, Neapoli movens clientum neceſſariorumquè præſidio tibi occurram efficiamq; ut latiſſimas vias ad hoc regnum adipiſcendum ingrediaris. Vale, Neapoli.

NOTÆ.

„ LOngobardis à longis cuſpidibus
„ vel bipennibus potius quàm à barbis nomen fuiſſe inditum, vero conſonum videtur. Gentem verò illam circa
„ Albis medium ſedem habuiſſe, qui tractus nunc ad Magdeburgenſem & Halberſtadenſem Diœceſes ſpectat, è regioneq; Senonas, quorum tractus Marcha vetus appellatur, fuiſſe, ex Ptolomæo & Strabone nonnulli aſſerunt. Ex hac ſua patria cum familiis ad illas Pannoniæ oras,

oras, quæ Italiæ sunt propiores, migrasse dicuntur in quibus annis circiter quadraginta permanserint. Quâ occasione verò Duce Alboino è Pannoniis egressi Italiam invaserint, regnumq́; sibi, pulsis ubique Imperatoris orientis præsidiis, quod 206. an: duravit, instituerint Longobardi, præter historicorum enarrationem ex hac constat Epistola. Cum enim Justini Imperatoris conjux Sophia, Narseti, Ducis nomine Italiam obtinenti exprobrasset quod esset Eunuchus, eumq́; ad trahenda cum puellis pensa ex Italia recedere jussisset, respondisse dicitur: se talem illi exordiri telam, quam nunquã sit pertextura. Paulò itaq; post, hisce literis accersiti sunt Longobardi in Italiam, quam malorum novitatem multa de cælo signa ac prodigia portendisse dicuntur. Egressi autem sunt ex Pannonia, A. M. 4538. C. 568. 2. April. fer: 2. Paschatis.

IV.

BEDA SACERDOS CAROLO Martello, Galliarum Regi ac cæteris Regulis.

DUM bellum geritur inter Christianos acerrimum, tota Europa primùm eversa est. Sacaceni, occupatâ Lybiâ atq; Africâ ex Septa solventes, omnes Hispanias præter Astares & Cantabros occupavêre. Africa igitur, quæ à Bellisario egregio Duce recepta de hostibus fuerat, centum & septuaginta annis Rom. Imp: parvit, ea demum à Saracenis cum Bethica Hispaniæ nunc capta, eorum moribus & legibus, cum maxima Christiani nominis ignominia, obtemperat. Quid egregius? quid præstantius fieri aut excogitari potuit, quam adversus Dei hostes

ſtes arma capeſſere? Quid meruere Suevi? quid Germani homines? quid reliqui Chriſtiani nominis viri, quos tot cladibus affeciſtis? Adſunt propè; imminent cervicibus Saraceni, qui univerſo terrarum orbi jugum minitantur. Hic " regna pulcherrima; opulentiſſimæ urbes; opima ſpolia; præmia " victoriæ vos morantur? Sed im- " primis incomparabilis gloria ac " merces penes Chriſtum Salvato- " rem noſtrum, qui ad hoc facinus " pium multis occultis apertisq; ac- " clamationibus vos hortatur & im- " pellit? Valete. "

NOTÆ.

CUm anno Chriſti 623. Mahomet regnare cepiſſet, ab hoc anno intra 105. annos usq; ad 718. iſte Mahomet ejusq; ſucceſſores Saraceni & Agareni, potiti ſunt Arabiâ, Palæſtinâ, Syriâ,

riâ, Persiâ, Ægypto & Africâ. Ex Africa trajecerunt in Hispaniam, inde in Galliam usq; ad Turonum Saracenorum trecenta & septuaginta millia infusa sunt. Antequam igitur ex Hispania in Galliam impressionem facerent, Beda insignis ille scriptor Ecclesiasticus, Carolum Martellum Brabantiæ Ducem, Caroli magni avum, à bellis Suevicis, Saxonicis & Frisiacis revocavit, & ad arma contra Christiani nominis hostes capienda incitavit, quod etiam, ut ex sequenti apparet Epistola, obtinuit. » Fuit autem Beda orthodoxis illis Eccle- » siasticis Doctoribus annumeratus, qui » eâ ætate vixerunt & in periodo secun- » da cum Vigilio & Alcuino, Caroli Ma- » gni præceptore, floruerunt. Constat itaque ejus authoritatem apud pium hunc Brabantiæ Ducem plurimùm valuisse. Inciderunt hæc in tempora Leonis Isauri circa A.C. 730.

V.

CAROLUS MARTELLUS EUdoni Aquitaniæ Duci.

Nullus

NUllus est qui nesciat, quantis periculis rei Christianæ Saraceni Hispaniam invaserint, in Galliamq; evocati sint. Quod cum nulla ratione ferendum censuissem, comparato exercitu, propè Turonem eorum copias profligavi. Tanta autem hostum cædes « facta est, ut trecenta sexaginta mil- « lia hominum cæsa sint; ex nostris « verò mille tantum desiderati fue- « rint. Quæ cum ita sint, erunt par- « tes tuæ rem Christianam Gallicamq; gloriam, quàm maximè poteris, tueri, delereq; illam labem, quam eorum adventu attraxisti. Ferunt enim Saracenos nuper abs te in Galliam evocatos. Quod si pa- « ribus auspiciis gloriæ Gallici no- « minis studueris, exinde tantum or- « namenti ac dignitatis tibi compa- « rabis

„ rabis, quantum dedecoris ex hac
„ gravi suspicione contraxisti. Illud
te demum hortor ac moneo, ut habitâ dignitatis tuæ ratione, malis
me amicum quam hostem experiri. Vale.

NOTÆ.

EUdo Westogothus, Aquitaniæ Dominus, Abidiramum Saracenorum Ducem in Galliam contrà Francos attraxerat. Omne itaq; robur Francici regni cõtra Saracenos duxit C. Marcellus, ingentique victoriâ, (cæsis 306. vel 380. millibus hostium cum Abidiramo) potius est. Hac igitur Epistolâ hortatur Eudonem ut Saracenorum societate relictâ Francorum copiis suas conjungat, nisi se ipsum hostem experiri malit. Etsi enim maximâ hac clade effecti fuerunt Saraceni: nequaquam tamen quieverunt: sed Athinio & Amorræo Ducibus ex Hispania iterum in Galliam ingenti exercitu effusi sunt, qui tamen à Carolo Martello repressi ma-

magnaq; clade affecti occiso Amorræo, in Hispaniam se receperunt. Fuit itaq; C. Martelli virtus divinitus excitata universæ Europæ maximè salutaris. Legantur quæ fusius & dilucidè de hoc re scripserunt, Sigebertus, Reginus, Æmilius, Marianus, & cum Carione Gallici scriptores.

VI.

STEPHANUS II. ROM. PONT. Pipino Francorum Regi.

SÆpe per literas nuntiosq; petij ab Imperatore Constantino, ut Romanam urbem, atque adeò Italos omnes è manibus Haistulphi Regis vindicaret. Qui cum Romanis omnibus necem, cruciatū excidiumq; interminari soleat, propediem futurum est, ut de omnium salute desperemus. Desunt nobis legiones, domi consilium, pecuniæ: hoc tantum nobis supereſt,

„ supereſt, ut abs te Chriſtiano invi-
„ ctoq; Rege, præſidia expectemus,
„ cujus pietas, magnitudo animi, mi-
„ litarisq; diſciplina ea eſt, ut facilè
„ nobis pacem, tibi victoriam, glo-
„ riam, omniaq; imperia aliquando
„ pariant. Ergo primo quoq; tem-
pore laboranti urbi Italiæq; accur-
ras, & precibus & lacrymis abs te
petimus. Vale.

NOTÆ.

AIſtulphus Longobardorum Rex penultimus, timidus & crudelis tyrannus, Ravennâ occupatâ, oppida quædam Romano Pontifici admerat Romamq; ipſam ſe invaſuram eſſe minitabatur. Stephanus itaq; Pontif. Rom. cum fruſtra Imperatoris Conſtantini auxilium imploraſſet ad Pipinum Galliæ Regem literas miſit, eumq; ut Ita-
„ liæ urbiq; ipſi ſubveniret, rogavit. Etſi
„ verò Pipino Longobardorum regnum
„ occupandi commodiſſima occaſio ob-
lata

lata fuerat: paci tamen & saluti publi- «
cæ potius quam privatæ consulendum «
putavit. Primâ itaq; expeditione Ita- «
liam ingressus Aistulphum in Alpium
faucibus infeliciter pugnantem in fu-
gam coniecit, qui, cum Ticini urbis, cui
erat inclusus, obsidionem metueret,
pace promissâ obsides Pipino dedit.
Sed Pipino in Galliam reverso contra
pacta ad urbem Romam accedit, ma-
gnisq; devastationibus factis suburba-
na incendit. Altera itaque vice Pont.
Romanus Pipini opem implorat, qui li-
teris acceptis in Italiam rediens, Aistul-
phum Ravennam aliasq; Italiæ urbes
relinqueret & pactis staret, colegit.
Nec tamen regno eum privavit, relicto «
insigni regiæ moderationis exemplo. «
Mortuus autem fuit Aistulphus eodem
anno C. 756. cujus in locum Desiderius
Rex Longobardorum ultimus, substi-
tutus fuit.

VII.

PIPINUS FRANCORUM REX

Stephano II. Pont. Rom.

CUm salus tua Romanæq; Urbis agatur, quæ non sine scelere Imperatoris negligi videtur, optimum apprimeq; necessarium visum est, ut dum militum delectus habetur, eaque parantur quæ ad conficiendum bellum opportuna sunt, injuriæ hostium te subtrahas, ad nosq; in Galliam quamprimum contendas. Habes delectos viros quibus cum tutò ad nos accedas. Totam rem maturius coràm agemus. Hoc nobis facere gratius nihil potes, cognoscesq; nullum te mihi chariorem. Vale.

NOTÆ.

EPpistolam superiorem quidam Gregorio III. Pont. Romano & hanc ad eundem sed perperam asscribunt. Gregorio enim Pontifici Zachariam, Zachariæ Stephanum II. Pontifices successisse, & isthæc sub hoc ab Aistulpho

stulpho gesta fuisse, præter Carionem & Bucholzerum, Francus, Sigebertus & alij testantur. Vid. Sleid. de 4. Monarch. lib. 2.

VIII.

BOEMUNDUS ROGERIO Nortmanno fratri.

POsteaquam Nicæam urbem per deditionem accepimus, copiæ, commeatus inopiâ, in duo divisæ sunt. Erat inde nobis iter per inculta & deserta loca: demum cum ad flumen quoddam deveniissemus, opportunitate loci aquari & instaurari exercitus cœpit. Vix datum fuerat momentum temporis quieti, cum Saraceni unà cum Solymanno principe, innumerabilibus copiis castra invadunt. Pugnatum est aliquantisper nostro aliquo incommodo, cum Godefredus & Ugo Bilionij fra-

tres, quadraginta millibus equi-
„ tum opem tulerant. Magna cædes
„ edita est hostium: videre erant
„ strues & montes Saracenorum,
„ qui maxima ex parte deleti sunt.
Fuere in castris hostium Medi, Syri, Chaldæi, Turcæ, Saraceni, Arabes, quorum spiritus compressi
„ sunt. Nos hac satis insigni victoriâ
„ futuram speramus, ut Christiano-
„ rum armis omnia cedant. Tancredus filius plurimam tibi salutem dicit. In castris.

NOTÆ.

TEmpore Henrici Quarti Argonautarum nostrorum expeditio suscepta fuit in Asiam, quod bellum dictum fuit sacrum. Hujus militiæ Dux fuit præcipuus Godefredus Bilionæus Lotharingiæ princeps, vir armis pariter & consilio promptissimus & acerrimus: qui consensu ab Imperatore impetra-
„ to,

to, vendito Ducatu paterno, omnem « pecuniam in hujus expeditionis appa- « ratum insumpsit, Balduino & Fusta- « chio fratribus assumtis. Godefridum « alij tres exercitus, ad internecionem o- mnes deleti, præcesserant. Ipse verò co- piis terrestribus universis contractis iter ingressus est, 15. die Augusti, anno 1096. Tanto verò numero Christiani « mare transierunt, ut universus occi- « dens in orientem dimigrare visus sit, « estq; hoc bellum pio recuperandi ter- « ram sanctam Zelo susceptum multoq; « piorum sanguine gestum. Primus Chri- « stianorum conflictus fuit cum Saracenis, anno C. 1097. 9. Cal. Augusti, in quo victores evaserunt, eodemq; anno Nicæa, Nicænâ Sinodo urbs clarissima, post 26. dierum obsidionem, vi effracta & per deditionem capta est. Cum verò ad Godefridum ex Germania, Italia & Gallia multi principes accessissent, inter quos etiam Boemundus Tarentinorum princeps fuit, de hac insigni Christianorum victoria, postquam

intra quadriennium, reliquas Asiæ provincias, Lycaoniam, Ciliciam, Syriam, Mesapotamiam & Comagenam, omnibus inde Turcis partim cæsis, partim fugatis, perdomuerunt; hasce ad fratrem dedit literas. Bellum hoc sacrum descripserunt Guelilmus Tyrius, Blondas, Fucherius, alijq; Gallicarum & Germanicarum rerum scriptores.

IX.

BOEMUNDUS ROGERIO Nortmanno fratri.

QUæ à militibus nostris præclarè ad Murasim gesta sint, intellexisti: Veruntamen ubi nunc locorum simus, quæq; à nobis gerantur, te certiorem facere optimum duximus. Proximis diebus ad urbem Antiochiam castra posuimus, obsidionemq; cæpimus. Ea Urbs omnium opulentissima à Cassiano Rege detinetur egre-

egregieque à civibus defenditur. Duplici muro circumdatur, interiori lateritio exteriori quadrati lapidis. Quadringenta & sexaginta turres insunt, colles quatuor includuntur, in quorum celsioris cacumine ad orientem vergentis, arx natura loci adeò munita est, ut omnes conatus & omnia oppugnãtium ingenia facilè frustretur. Fluminibus fontibusq; irrigua & agro fertili vicinoq; lacu dives. Recedit à mari Cilico passuum XII. millibus. Fanfar. Fluvius portum efficit satis amplum. Ad septentrionem mons est excelsus, qui Græca significatione fontium amœnitate Hero dicitur. Ad orientalem plagam Campestris latissima regio, quam Fanfar propè mœnia irrigat. Hæc urbs mille annis sub Christiano

imperio jam pridem floruerat; centum quinquaginta tres Episcopi sub Antiocheno Patriarcha fuerunt: in ipsa autem urbe trecentæ & sexagintæ Ecclesiæ. Quibus, quanta qualisq; urbs sit, quantæq; accessiones Christiano nomini hujus oppugnatione fient, facilè pro
„ tua prudentia judicabis. Tametsi
„ munitissima videtur, tanta mili-
„ tum tamen nostrorum virtus, per-
„ tinaciaq; tanta est, ut propediem
„ de victoria certissimum nuntium
„ expectare te velim. Tancredus filius bene valet. Vale in castris ad Antiochiam A. 1097. 1. Novemb. cœpta est obsideri.

NOTÆ.

ANtiochia, Syriæ urbs post Damascum prima, à Selcuco condita & ab Antiocho ampliata hoc nomen retinuit.

tinuit. Graphice autem hic depicta est; quæ licet Christianam religionem magna veneratione exceperit, in eaq; Christi discipuli primùm Christiani appellati fuerint, in Saracenorum tandem nihilominus potestatem pervenit, quam ex eorum manibus summâ vi iterum Christiani extorserunt. Miris autem cladibus à terræ motu aliquoties fuit affecta & parum abfuit, quin tota discussa & in nihilum redacta fuerit. A. M. 4086. C. III. sub Trajano terræ motu concussa & penitus propè subversa fuit: A. M. 4428. C. 458. 14. Sept. à priori terræ motu 347. iterum simili clade affecta est. A. M. 4496. C. 526. 14. Cal. Junij parum abfuit, quin tota corruerit & civium sepulchrum facta fuerit, nec ab omni hominum memoria tantam iræ Dei ullam in urbē grassationem extitisse, proditum est. A. C. 528. in eadem urbe ædificiis multis terræ motu concussis, homines 4870. perijsse dicuntur, A. M. 4559. C. 589. iterum terræ motus multa millia hominum

num oppressit. Hanc cum occupassent Saraceni, à Christianis expugnata fuit die 3. Junij A. C. 1098. & 100. millia Saracenorum cæsa fuisse, tradunt. Vid. Bucholz. in Indice Chronol.

X.

TANCREDUS NORTMANNUS
Rogerio Patri.

POst captam Antiochiã quam primũm Sensadolus, Regis filius, cum maximis Persarum copiis accurrit, & per arcem, quæ adhuc hostium erat, urbem invasit; pugnatum est in urbe variâ fortunâ. Deinde legiones nostræ in latos campos egressæ sunt, ibiq; tanta contentione ardoreq; prælium gestum est, ut centum millia hostium cæsa fuerint: quindecim millia Camelorum capta; spolia ditissima recepta, & annonæ maxima vis: eâdem ipsa die arx deditionem

nem fecit, & Boemundo tradita fuit. Hac insigni victoriâ perculsi hostes remotissima loca accesserunt; tandem egregiâ militum virtute uno eodemq; tempore fames, hostes, arx omniaq; devicta sunt. De reliquis nihil est quod non optimè speramus. Boemundus plurimam tibi salutem dicit. Vale.

NOTÆ.

TAncredus, Roberti Guiscardi ex sorore nepos, qui postea Tyberiam recens captam regis beneficio obtinuit, de Antiochiæ expugnatione variaq; in civitate & extra illam fortuna, ad Rogerium patrem, fratrem Boemundi, cui arx per deditionem tradita fuit, has literas dedit. Etsi verò hæc urbs difficili novem mensium obsidione fatigata, tandem capta fuit: missio tamen à Sulthano auxilio Persico, intra urbem nullo commeatu instructam rursum inclusi, necessariarũ tandem rerum inopiâ

apiâ compulsi eruptione factâ, copiis Persicis fusis ac fugatis obsidionem solverunt.

CENTURIÆ

Castrensium Epistolarum,

OCTAVA CORONA.

I.

GODEFRIDUS BILIONÆUS Boemundo Antiochiæ Regi.

MAximis itineribus, captis primùm aliquot oppidis, Hierosolymam venimus, quæ urbs arduis montibus circundatur, fluminibus caret & fontibus, excepto unico Silõe amne, eaq;

eaq; tenui. Multæ insunt cisternæ, ubi asservantur aquæ & in urbe & in agro. Hinc Arabes, Moabitæ & Ammonitæ orientales sunt: Idumæi Agyphi & Philistæi meridionales: Maritimæ civitates Ptolemais, Tyrus & Tripolis occidentales: Tyberias, Cæsarea Philippi; regio Decapoleos & Damascus Septentrionales. Ego inoppugnatione urbis partem muri, quę mihi obtigerat, primus ascendi, & Balduinum in urbem descendere jussi; qui, cæsis aliquot hostium cohortibus, portas perfregit, & Christianos admisit. Raimundus turrim Davidis cum pretiosissima gaza per deditionem accepit. Ad Solomonis templum ventum est, ibi parata fuit pugna tantaq; hostium cædes, ut cæsorum cruor nostrorum

rum talos superaret: nocte adventante superiora templi expugnare non potuimus. At altera die, civibus miserabili voce pacem acclamantibus data, atq; ità urbs Hierosolyma à nobis Idib. Julij capta est, anno salutis nostræ 1099. die 39. post cæptam obsidionem, qui annus fuit 409. postquam sub Heraclio Saracenis cesserat. Ad hæc, „me etiam reluctantem, summo omnium consensu Hierosolymæ „Regem acclamavere, qui, tametsi „tantum regnum horrescam; veruntamen dabo operam, ut me „Christianum Regem, deq; fide „publica optimè meritum facilè „agnoscant. Tu autem me, quod facis, ama. Vale.

NOTÆ.

POst Niceam & Antiochiam cum reliquis

liquis Asiæ provinciis captas, Hierosolyma etiam hostibus ejectis, in Christianorum redacta est potestatem. Hanc urbem cum Turci Saracenis ademptam, octo annos possedissent, Saraceniq; eam recuperassent, Christiani illam, Saracenis iterum excussis, die 30. obsidionis, 15. Julij, die divisionis Apostolorum, feria 6. eâq; horâ quâ Christus salvator mortuus est, cœperũt, Godefridusq́; Bilionæus, qui conscensis & superatis mœnibus primus in urbem Hierosolymam irruperat, primus Rex Hierosolymorum creatus est. Cum itaq; regni sede ibi constitutâ Godefrido omnium suffragio & consensu regia diademata oblata fuissent, regni titulum & insignia ideo se nolle dixit, quod indecorum duceret, hominem peccatorem ea in urbe aureum gestare diadema, in qua mundi Salvator & Rex æternus, spineam coronam, sacratissimo suo sanguine madentem, gestasset. Spineam itaque coronam, flexis ad Dominicum Sepulchrum genibus procbeũnti,

„ ti, sibi imponi curasse, tradunt, ut se ad
„ Christi Salvatoris exemplum spineam
„ in hac vita coronam non aspernari,
„ dummodo æternæ vitæ gloriâ Christi
„ spinis partâ & acquisitâ, coronandus &
„ ornandus sit, testatum faceret. De hu-
jus urbis expugnatione & situ, præter hanc Epistolam legatur Brocardi Monachi cujusdam totius terræ sanctæ exactissima descriptio, Casparis Peuceri libro, de dimensione terræ, annexa.

II.

TANCREDUS NORTMANNUS
Rogerio Patri.

CUm planè sciam, te de nobis magnoperè laborare, cursuq; rerum nostrarum felicissimo lætari: nihil mihi potius unquam duxi, quam te de omnibus quamprimum certiorem facere. Captâ urbe Hierosolymâ, nunciatur nobis, Sylomannum Babyloniæ Regem, cum magnis copiis Ascalone con-

consediſſe, quæ urbs viginti quinque millibus paſſuum ab Hieroſolymis diſtat. Godefridus occurrere ſtatuit, quem ego duabus legionibus Euſtachiusq; ſecuti ſumus. Primò ex captivis didicimus Clementem, Solymanni Ducem, quingentis millibus hominum nobis imminere; nos, tametſi numero impares, præſenti animo ad « Aſcalonem Babylonios aggreſſi, « univerſos fudimus ac fugavimus: « ad centum hominum millia cæſa ſunt. Hac inſigni victoriâ Hieroſolymæ ſalus ac quies parta eſt. Quod autem ad res Italicas pertinet, gratiſſimum feceris, ſi, quæ iſtic gerantur, ad me quàm diligentiſſimè perſcripſeris. Vale, Aſcalone.

NOTÆ.

ASCalon, ubi ſuis copiis Solyman-

nus Babyloniæ Rex vel Dux illius Clemens, consedisse dicitur, Idumeæ fuit civitas, unicum ferè robur & propugnaculum in illa terra Saracenorum, à qua Gaza in littore maris sita, duabus leucis distabat. Quàm illustris autem hæc fuerit victoria, ex ipsa hac ad Rogerium patet Epistolâ.

III.

BALDUINUS II. REX HIEROSOLYMÆ, Calisto Pontif. Roman.

VEnetorum ducentæ naves maximo nobis adjumento fuerunt, tantumq; addiderunt, virium, ut Joppæ, quingentis navibus obsessæ, opem tulerimus, ac solutâ obsidione Barbaros innumerabiles cæsos captosq; perdiderimus. His prosperè actis, paribus auspiciis in Tyrum ductum est, quam jampridem tentatam, nun-

nunquam milites noſtri oppugnare poterant: ſed tum demum opulentiſſima munitiſſimaq; urbs multo Venetorum ſanguine capta, & Hieroſolymæ imperiò adjecta eſt. Tertia pars Tyri & Aſcalonis ſi caperetur, multis immunitabus honorificisq; decretis imperio Venetorum aſſignata eſt. At Emanuel Græcorum Imperator, tantam nobis victoriam invidens, ſedulò operam dat, ut Venetorum auxiliâ à nobis ſejungat. Quare abs te majorem in modum peto, ut eundem Imperatorem à perditiſſimo conſilio avoces, ipſosq; Venetos quàm maximè in fide contineas. Nihil eſt, quod litteris & nuntiis à Senatu illo non facilè impetres. Tanto autem nobis uſui claſſis Veneta futura eſt, ut eo præſidio

munitissima quæq; oppida oppugnare, mariaq; latissimè olim tutò percurrere possimus. Vale.

NOTÆ.

GOdefrido primo Hierosolymitanorum Rege, cum annum imperasset, defuncto, Balduinus frater, anno C. 1100. 18. Julij à Salomonis morte 2100. ei successit, qui 18. annis regnum administravit. Cum verò Imperatores Orientis pro innata genti malitia, rebus Christianorum in Asia, plus penè hostibus ipsis, vi partim occultâ, partim etiam manifestâ attentatâ, nocerent; Christianis omnia ex sententia, ut aliàs fieri potuisset, non successerunt. Quâcunq; enim ratione cursum victoriarum impedire potuerunt, nulli occasioni & opportunitati non invigilabant. Suspicaci enim metu crescentem novorum hospitum potentiam pertimescebant gloriæq; eorum invidebant, ægrè ferentes atq; dolentes sibi quasi bolum præ faucibus ab externis & peregrinis

regrinis eripi, quem barbaris excussis ad se rediturum sperabant. In hac igitur Epistola de Emanuele, qui Venetum fœdus interrumpere conabatur, gravem Balduinus instituit querelam, atq; illum ab hoc perfido incepto dehortetur, Rom. Pontif. rogat.

IV.

SALADINUS ISACO CONstantinopol. Imper.

OBsidebam Tyberiadem, cum mihi nuntiatum est, Guidonem Hierosolymæ Regem, equitum triginta millia, peditum quadraginta in aciem eduxisse. Hunc ego citato agmine præveni ac è regione Christianorum cum copiis omnibus constiti. Oriente sole initum est prælium, hostium aliquot cæsi, aliquot capti. Guidonem Regem & templi magistrum cum nobilioribus Christiani no-

minis captos servavi; de paucis supplicium sumptum. Hac victoriâ usus, Aconem duxi, quam per deditionem accepi. Spero brevi futurum, ut Beritum, Biblium & omnes maritimæ oræ, usq; ad Ascalonem, imperio nostro adjiciantur. Hæc eò scripsi, quod te rebus nostris prosperè gestis pro necessitudine nostra maximè lætari intellexi. Vale. In castris.

NOTÆ.

Postquam octo Reges Hierosolymorum regnum tenuerant, quod heroicâ priorum Regum virtute, concordiq; conatu nec non multo Christianorum sanguine, plurimis regnis pretiosiore, partum & instauratum fuit, eum nimirum in finem, ut sancta illa terra à Mahometicæ blasphemiæ inquinamentis repurgata, rursus veri Dei Ecclesiæ domicilium ac sedes fieret: ambitione, mutuis odiis, perfidiâ & discordiâ successorum

cessorum proditum atq; eversum, in Saracenorum redijt potestatem. Ut enim humanis in rebus, virtute relictâ, nihil constans durabile ac perpetuum: sic postquã hi Reges à virtute ad voluptates; à continẽtia ad luxuriam; à justitia & concordia ad omnis generis vitia defecerũt, pœnæ etiam subsecutæ fuerunt. Godefrido viro fortissimo successit frater Balduinus insigni virtute heros præstantissimus. In hujus defuncti locum Balduinus de Burga, Rex laude dignissimus surrogatus fuit, à quo salutari consilio Equestris ordo militiæ sacræ institutus est, qui à professione initio S. Joannis nomen adeptus, postmodum Dominorum Rhodiorum titulo celebratus fuit. Ab his sacrorum militum familiæ Templariorum & Teutonicorum ortum traxerunt. Post hujus Balduini obitum, principes, dissidiis, mulierum ambitione concitatis, distracti, inter se bella movere cœperunt. Postquam enim præsidia & rerum administrationem juris hereditarij præ-

„ textu mulieres se pertraxerunt, quos „ insanâ libidine deperierunt, per matri„ monia ad regium fastigium evexerunt. Andavienſium comes Fulco, Balduini gener, undecim annis regnum administravit, qui equi lapſu anno C. 1142. interiit, Balduino & Almerico impuberibus filiis relictis.

Balduino Conradus Suevus Imperator terrâ: Ludovicus Francorum Rex mari ſuppetias ferebat. Sed Imperator irrito ſucceſſu, omnibus amiſſis copiis, domum rediit. Aſcalonem tandem cum Balduinus deditione accepiſſet, regni anno 24. C. 1162. 16. Febr. in Berytho deceſſit.

Almericus frater ſucceſſit Balduino, qui cum Saracone Suldano, qui Ægyptum nuper occupaverat & ejus Succeſſore Saladino, bellum ſed infeliciter geſſit. Almerico felici ſucceſſu auxilio erat Fridericus Imperator, quo, reinfectâ præproperâ morte extincto, majores ſpiritus Saladinus aſſumſit. Almerico igitur, regni anno 12. C. 1173. defuncto,

functo, Balduinus filius impubes relictus est.

Hic Balduinus, quia Elephantiasi laborabat, Almericus adhuc superstes de filij salute desperans, Balduinum, Wilhelmi Longatespatæ, Marchionis Montisferrati filium, ex Sorore Sybilla nepotem, regem instituit. Huic Raimundum testamento tutorem constituerat: Verùm Sybilla, Balduini Mater, Guidoni Lusignano nupserat, qui, Raimundo extruso, sein regni administrationem, pueroq; Balduino mortuo in regnum ipsum vi sese ingessit. Cum vero in suspicionem dati privigno veneni Guido venisset, à Raimundoq; bello petitus auxilium Saladini attraxisset, ille, ne sibi suisq; rebus deesset, oblatis opportunitatibus invigilavit, & tàm Guidone quàm Raimundo oppresso, res Christianorum in Palæstina, Syria, & Mesopotamia maximâ clade affecit & tandem Hierosolymâ unius mensis oppugnatione captâ regnum Hierosolymitanum destruxit,

A. C. 1187. 2. Octob. fer. 6. à quo penes Christianos esse cœperat 88. De hac victoria gloriatur Saladinus in hac & sequenti Epistola ad Isacum Constant. Imper. cui, ut reliquis, Christianorum potentia & gloria in his regionibus erat invisa. Vid. Car. in Chron. lib. 4.

V.

SALADINUS ISACO CONstantinop. Imperat.

POstquam Ascalonem valido præsidio, commeatibus rebusq; omnibus communivi, copias ad oppugnandam Hierosolymam deduxi; decem totos dies ad plagam occidentalem oppugnavi, vigintiq; aliis diebus obsedi. Hostes desperatis auxiliis potius quàm oppugnationis metu eâ conditione deditionem fecerunt, ut cum suppellectili quæ singuli humeris ferre possent, abire

re permitterentur. Facta est deditio secunda Octobris, anno 88. postquam Christianis cesserat. Ij decedentes, pars Antiochiam, pars Tyrum, aut Alexandriam petijt. Veruntamen qui Asia oriundi erant pauciſſimi Hieroſolymæ conſtiterunt. Reliquum eſt, ut Tyri oppugnationem tentemus; quæ ſi nobis ex ſententia evenerit, video res noſtras in tutiſſimum locum poſitas eſſe. Vale, Hieroſolymæ.

NOTÆ.

QUanta Imperatorum Orientis fuerit malitia & in Chriſtianos perfidia ex his epiſtolis ſatis manifeſtum evadit. Mirum verò non eſt ſi juſtiſſimâ vindictâ divinâ tandem Byzantium ipſum cum ſede ſua Imperatoria in hoſtium immaniſſimorum poteſtatem redacta fuerit. Piè itaq; & prudenter omnibus quibus cum hoſtibus colludant,

dant, prospiciendum est, in primis si
„ potentiores in auxilium vocentur, ne
„ unâ cum hoste suo commune pericu-
„ lum subeant, suæq; vel stultitiæ vel per-
„ fidiæ, multorum exemplis pœnas
„ luant.
„

VI.

CLEMENS III. ROM. PONT.

Isaco Constantin. Imper.

JAm omnia Saladini virtuti cessérant, cum edicto nostro ad instaurandam gloriam Christiani nominis principes nostri excitati sunt. Præcipui fuere Fridericus alter Imperator, Philippus Francorum Rex, Richardus Angliæ & Oddo Burgundiæ; Veneti quoq; & Pisani paratissimas classes eduxere. Venetæ præfuit Ravennas Archiepiscopus; Pisanæ præsul Pisanus: Gulielmus Rex Siciliæ pacato à piratis mari, annonam ex

Sicilia

Sicilia & Apulia profecturus ministravit: Frisones quoq; & Dani trirenes quinquaginta, & duodecim Flandrenses armavere: qui transeuntes in Mauritaniam & ad Africæ littora flectentes, Saracenos magnis incommodis afflixerunt, & Sylvinam urbem, vi captam, diripuere. Rex Ungarus habitâ ratione rei Christianæ, Ungaris pacem dedit. Quæ cum ita sint, oro te majorem in modum, ut hoc bellum instauratum ac Christiano nomini glorioſum, quibuscunq; rebus poteris (poteris autem pluribus) juves, ne, quando Saraceni validiores effecti, regnum etiam tuum clade aliquâ afficiant. Vale.

NOTÆ.

POstquam Saladinus, Hierosolymâ captâ totâq; ferè Syriâ in deditionem

nem acceptâ, Armeniam invaserat, multosq; Christianorum exercitus incredibili successu diversis in locis ceciderat, Asiâq; universâ nisi reprimeretur, potiturus videbatur, Fridericus Barbarossa, pace in Imperio constitutâ, justum & pium bellum ingenti animo, cõtra hostem hunc Christianorum infensissimum, movendum putavit; effecitq; ut Angliæ Rex Richardus hostes mari adoriretur, Franciæ Rex Philippus pecuniam suppeditaret & ipse quoque mari accederet, alijq; principes & Respub. opem ad bellum hoc summè necessarium ferrent. Nec hisce piis conatibus atq; consiliis successus defuerunt. Mediam enim Asiam ingressus Imperator, tribus vicibus Turcos vicerat & fuderat, miroq; rerum successu tantum Saladino terrorem incussérat, ut multis urbium mœnibus, arcibus ac propugnaculis demolitis, de ipsa Asia
» relinquenda consiliũ ceperit. Etsi verò
» Fridericus Imperator Saracenorum
» exercitu deleto victricibus armis in

Ciciliam

Ciciliam progressus fuerat; & Richardus Angliæ Rex multas urbes maritimas hostis potestati subtraxerat, ac Saraceni cum Turcis tàm ex Syria quàm ex Ægypto, si Fridericus superstes fuisset, expelli potuissent: Fata tamen, ut inquit historicus, urgebant Asiam & tantum Imperatorem Europæ invidebant. Recuperatâ enim Ciciliâ, exercituq; Saladini ex Armenia minore rejecto, cum labore atq; æstu defatigatus in flumen lavandi studio descendisset, vel vorticibus abreptus, vel ut alij tradunt, epatis ob repentinam refrigerationem vitio correptus, periit Imperator optimus & fortissimus. Cum verò de invidia & odio Imperatoris Orientis in Christianos ejusq; cum hoste collusione constaret, modestè à Pont. Rom. ut hanc expeditionem juvet hac epistolâ monetur. Iter hoc fuit ingressus Imperator A. M. 5159. C. 1189. Bucholz. in Ind. Chron.

CARO-

VII.

CAROLUS GALLIÆ REX Petro Arrogoniæ Regi.

NUnquam adduci poteram, ut crederem, te maximi animi nominisq; Regem, mihiq; conjunctissimum, regnum Siciliæ „ per scelus invasurum. Nam & san- „ guinis cura & amor meus erga te „ singularis id minimè abs te fieri pa- „ tiebantur; eoq; minus, quod nul- „ lum jus, nulla satis justa ratio id „ suadere videbatur. Quare te mo- „ nitum velim, ut quamprimùm Panormio, totâq; Sicilia excedas. Sin id agere neglexeris, scito Deos immortales, æquissimos scelerum vindices, aliquando Gallorum armis de te pœnas sumpturos. Vale.

NOTÆ.

CArolus Galliæ Rex Siciliam tenebat. Petrus verò Arragoniæ Rex propter

propter Constantiam uxorem armis sibi illam vindicabat, quod ægrè ferens Carolus hanc ad ipsum expostulatoriam dedit Epistolam, ad quam Arragoniæ Rex respondet, suiq; facti rationem reddit.

VIII.

PETRUS ARRAGONIÆ REX Carolo Gallorum Regi.

NUnquam tanti fieri jura sanguinis consueverunt, ut regna æquo jure mihi cedentia, & lachrymas populorum, voces & ejulatum opem implorantium aspernari debuerim. Nam & Siciliæ regnum ob uxorem Constantiam, quæ Manfredi filia & Corradini neptis fuerat, deberi mihi omnes fatentur, & Siculi ipsi tot tantisq; calamitatibus affecti sunt, ut universa insula fortunis rebusq; omnibus spoliata, extrema omnia

„ experiatur. Quæ si à me minus re-
„ ctè facta esse contendes, dabo ope-
„ ram, ut jure belli & quacunq; ma-
„ lueris ratione pro justa causa me
„ stare intelligas, mihiq; propterea
„ Deorum immortalium præsidium
„ præsto futurum plane confido.
„ Vale.

NOTÆ.

ARragonij stirpis suæ authorem jactitant Ennicum Gothum, qui circa annum Christi 912. multis præliis Mauros profligavit. Hujus Ennici nepos Sancius fuit major, qui cum Ferdinando filio regno Legionis & Castellæ potitus, Mauros inde universos expulit regnaq; filiis & nepotibus partitus est & Garciæ Navarræ, Sancio nepoti Aquitaniæ regnum assignavit. Ex his tres distinctæ familiæ, Regnum Castellæ, Arragoniæ & Navarræ prodierunt. Arragoniæ stirpem finivit Reimiris Alphonsi VII. frater, è monasterio ad Regnum vocatus.

vocatus. Hujus filiam Petronellam Raimundus Berengarius Barchinonæ comes, uxorem duxerat, ex eaq; Alphonsum filium sustulerat, qui Arragoniæ Regnum adeptus, in eo quoq; novam regni stirpem condidit. Nepos verò hujus Alphonsi Petrus Arragonicus, Siciliæ regnum cum armis ob Constantiam uxorem sibi vindicasset, eoq; nomine cum ipso Carolus priori Epistola expostulasset, sui facti rationem hac reddidit. Vide Carionem de rebus Hispanicis lib. 4.

IX.

AURELIANUS DUX CAROlo VIII. Gallorum Regi.

Ego jampridem commodo & judicio amplitudinis tuæ Novariam cepi, quantumq; in me fuit gloriam Gallici nominis defendi, ac tutatus sum. Sed cum ita rerum eventus ac incerti casus tulerint, ut hæc urbs duobus exerci-

tibus hinc & inde obsideretur, rei magnitudo effecit, ut meam & tot fortissimorum militum salutem, tibi commendarem. Pertinet enim ad publicam Gallorum existimationem & ad dignitatem imprimis tuam, Novariam defendi „ ac ab obsidione liberari. In qua si „ aliquorum improbitate vel incu„ riâ & flagitiosis consiliis deserar, „ Itali acceptæ cladis memores, cru„ deliter erunt sævituri. Novarien„ ses, qui summæ fidei sunt, & mili„ tes, qui summæ constantiæ laude „ aspera omnia paterentur, propter „ commeatus inopiam jam propè „ ad rerum omnium desperationem „ devenerunt. Neq; ullâ re magis eo„ rum corpora atq; animi sustinen„ tur quam certâ spe tui adventus. „ Si excercitum à Vercellis admove-

ris

ris & hostes, quos jam ad Terrum profligasti, ex composito aggressus fueris, nos continuò cum octo millibus pugnatissimorum hominum erumpemus, egregioq; facinore edito victoriam ingeminabimus. Hoc te Novarienses & omnes hoc te Helvetij Antiusq; ipse: hoc etiam atq; etiam Ludovicus Salassus rogat: quarum salutem tanti, quanti dignitatem fortunasq; tuas facere debes. Vale, Novariæ.

NOTÆ.

DE Novariæ urbis obsidione; de obsessorum angustiis; de induciis & aliis quæ antecesserunt & subsecuta sunt, videatur Philippus Cominæus historicorum, qui de rebus Gallicis scripserunt, excellentissimus lib. 4. ubi hæc graphicè ab eo, ut qui hisce rebus non tantum interfuerit sed etiam simul præfuerit, omnia depinguntur. Cum

verò de pacificatione varia & diversa fuissent consilia, aliis in hanc, aliis in alteram partem inclinantibus, inter alia quæ admodum prudenter à Cominæo hic proferuntur, hæc quoq; memorabilis pronuntiatur sententia: Facile quidam reperiuutur qui rem aliquam perturbent & diffidiis materiam subministrent: qui verò dexteritatem illam habeant & voluntatem etiam conciliandi animos & componendi simultates vix paucos invenire licet. Nec enim est omnium, ea, quæ in ejusmodi actionibus dici consueverunt & objici, patienter ferre: Vid. Cominæum lib. 5.

X.

CAROLUS VIII. GALLORUM Rex, Aureliano Duci.

MUlta me ad Salutem tuam & sociorum hortantur, vel affinitas quâ mecum arctè conjunctus es, vel milites de me optimè meriti, quorum virtuti tantum

tum debeo, quantum solvere difficile est. Accivi nuper ex Helvetiis pedites & è Gallia equites cataphractos, in supplimentum exercitus. Spera ea auxilia brevi ventura, quæ ubi applicuerint, extemplo castra movebo, daboq; operam, naviter, ut Itali fœdâ fugâ obsidionem solvant, vel si operiri nostram adventum velint, maximo suo incommodo Gallorum virtutem iterum experiantur. Tu interim Novariensibꝰ, Ancio, Ludovicoq; Salassio, meis verbis salutem & præsidium pollicearis.

NOTÆ.

ETsi Gallorum Rex Carolus alacer & fervidus juvenis atq; ex assentatorum applausu spebus amplissimis eximiæq; gloriæ inexplebili cupiditate inflammatus, toti Italiæ, bello Pisanis

Florentinis, Senensibus & Neapolitanis illato, terrori fuerat: Novariæ tamen à Duce Aureliano occupatæ & ab hostibus acriter oppugnatæ atque obsessæ, propter fœdus, quod Pontifex, Maximilianus Cæsar, Senatus Venetus, Ludovicus Sfortia, Ferdinandus Hispanus, contra Gallos inierant, succurrere obsidionemq; ut promiserat vi solvere non potuit. Ad quantas verò angustias & extremos miseriæ terminos hæc civitas redacta quibusq; consiliis atque conditionibus fracta fuerit, videatur dicto loco apud Cominæum, ubi vivis coloribus hæc omnia depicta oculis quasi subjiciuntur. Incidunt ea in annum Christi 1494.

CEN.

CENTURIÆ

Castrensium Epistolarum,

NONA CORONA.

I.

TURCUS MAGNUS ZANcassano Persarum R.

AD Ciciliæ angustias cum exercitu perveni, quo in loco Darium Alexander memorabili clade superavit. Nec aliam belli fortunam pollicemur, qui Alexandrum felicitate ac rerum gestarum gloriâ æquavimus. Non enim multitudine imperitâ « res magnæ geruntur, sed in virtute « paucorum victoria sita est. «

NOTÆ.

CUm tantus virtutis sit splendos ut

illam etiam in hoste admiremur & magni faciamus; ab instituto non prorsus alienum videtur, si nonnullæ ex Mahumetis Epistolis, Turcarum Imperatoris, subjiciantur. Etsi enim crudelitas hujus tyranni fuit maxima, quæ ex factis ipsius truculentissimis nemini ferè obscura est: In Epistolis tamen singulare quandoq; acumen ingenij elucet quod ob brevitatem illustrem animos eruditorum afficiat. Ut verò tantò magis hæc in conspectu sint omnium, operæ pretium esse videtur si argumentum hujus Imperatoris Turcici Epistolarum, quas Landinus Eques Hierosolymitanus Latinitate donatas, edidit, præmittatur.

Mahumetes, inquit, Turcarum Imperator, cui postea ex magnitudine rerum gestarum, magnus Turcus cognomen fuit, cum Asia potiretur auctis paterni regni viribus, in Europam copias ingentes, per Hellespontum, classe trajecit: quibus Mox Byzantium, nobilissimam Constantini urbem, vi captam, expugna-

expugnavit. Myſiam verò utramq;, Galatas, Thraciam, Arhajam, Peloponneſum, Acarnanes, Ætolos, Ambraciam, Epyrum atq; omne Illyricum latus in poteſtatem redegit. Aſiæ verò minoris regna circiter duodecim obtinuit: Pontum, Bithyniam, Cappadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Pamphiliam, Lyciam, Cariam, Lydiam, Phrygiam atq; omnem Helleſpontum quibus imperavit. Epiſtolas verò ad innumeras orbis gentes plurimas dictavit, partim Syro & Græco ſermone compoſitas, partim etiam Scyticâ linguâ ſcriptas. Hæc Landinus. Ex harum verò Epiſtolarum numero quasdam ſaltem huc relatas, ut tanquam ex ungue leonem cognoſcat cum ſuis reſponſionibus Lector amicus habebit: reliquarum copiam, Laconicarum Epiſtolarum Theſaurus M. Joannis Buchleri à Gladbach exhibebit.

II.

ZANCASSANUS TURCO.

Cum

CUm ad vires ipse meas respicio, ac magnitudinem rerum gestarum, quibus Deos immortales felicitate æquavi, temerarios quidem tuos apparatus minimi duco, qui eo semper usus sim invictissimo exercitu, cujus virtute regum fortunatissimus appellarer, Bactrianosq; omnes, Medos, Persas, Armenios, Parthos ac universum penè orientem armis subegerim, solusq; post Alexandrum bella gentibus indixi. Tu verò superiore loci fortunâ ad Ciliciæ angustias gloriari desine. Indus Elephas
» culicem non timet. Nec verò tam
» difficilè quicquam est & arduum
» quod non pertinax militum opera
» expugnet. Virtus profectò nihil ni-
» mium habet.

NO-

NOTÆ.

ETsi hæc cum superiori Epistola barbaræ plurimum habet jactantiæ ac superbiæ, dum tàm Mahumetes quàm Zancassanus se rerum gestarum magnitudine Alexandrum Magnum æquasse affirmant: Utraq; tamen egregiâ sententiâ de virtutis efficacia & præstantia finitur. Tali & quidem admodum memorabili utitur Alexander apud Q. Curtium lib. 7. ad milites, quos ad petram occupandam quam hostes tenebant, his verbis incendebat: Nihil tàm altè natura constituit quò virtus non possit eniti.

III.

TURCUS PONTIFICI Romano.

COrinthum Achaiæ urbem nobilissimã, Ætolos, Acarnanes Macedoniam atq; omnem Peloponnesum, armis invasimus. Vicos præterea, agros & oppida latè

tè incendio depopulati, ut mox in Italiam bellum inferamus. Hæc tibi omnia cum ſummo Chriſtianorum metu ac detrimento denuntiamus.

NOTÆ.

MAhumetes Imperator Turcicus, naſcitur 24. Martij Anno 1450. á morte Mahumetis primi pſeudoprophetæ Turcici 800. Amurate ſecundo Turcarum Rege octavo, Anno 1452. mortuo, ſucceſſit in regno hic Mahumetes ſecũdus Rex nonus, orientis Imperator primus. Is fratrem, ne, pater ſolus ſepeliretur, ſtrangulari juſſit. Immaniſſimus hic tyrannus, Anno 1452. Athenas omnium artium diſciplinarumq; inventrices, ſolo æquavit: Anno regni tertio, mundi 5423. C. 1453. Conſtantinopolin Romani regni in oriente ſedem imperatoriam, expugnavit. Poſtquam etiam Achaiam, Ætolos cum reliquis invaſerat, omnibusq; finitimis terrorem incuſſerat, ut Italia quoque

in

in metu esset, hasce ad Pontificem dedit literas.

IV.

PONTIFEX ROMANUS TURCO.

QUod Græciam omnem ferro igniq; vastaveris, non tàm crudelitatem hac in re tuam, quàm tot urbium direptiones ulcisci paramus. Neq; enim victor hostibus ignoscere poteras qui tuis etiam immanitate, scelere ac libidine nunquam pepercisti. Nec ei pium, fasvé quicquam apud homines esse potest, cui neglectâ religione Deus in contemptu sit. Nos tamen nullum à te bellum in Italia aetuimus. Facile enim scelerata hominum arma contemnit, qui Dei numine ac præsidio tutus est.

NO-

NOTÆ.

TUrcarum tyranno piè respondit Pontifex Romanus, dum crudelitatem ei in omnes, in Deum contemptum exprobrat, seq; ac sibi commissos, Dei præsidio munitos facilè tutos fore confidit.

V.

TURCUS VENETIS.

CLasse vestra quam ad belli navalis usum maximam comparastis, Lyciæ maritima infestare audio, ac vos latè regni mei fines depopulatos: Athaliam Pamphiliæ urbem armis circum sedi-
» se. Videte obsecro quos tandem
» exitus hæc habitura sint. Aliena te-
» merè oppugnat, qui ægrè sua bello
» tuetur. Vos enim post amissam
» Chalcidem, servare potius Rem-
» pub. ac nominis dignitatem reti-
» nere oportet, quam armis impe-
» rium quærere.

No-

NOTÆ.

LYcia Asiæ fuit regio inter Pamphiliam & Cariam sita. Quod in Campania Vesurius, in Siciliâ Ætna; hoc in Lycia, Julio Solino cap. 52. teste, mons fuit Chimæra. Pamphilia Asiæ minoris regio, in qua Athaliâ Urbs nobilissima, inter Syriam & Ciliciam constituta fuit. Has regiones cum invasissent Veneti has Turcus ad illos dedit literas. Exprobrat autem Venetis, quod Chalcedone urbe Thraciæ, Synodo Chalcedonensi clarissima, ad Bosphorum propè Byzantium amissâ, aliena potius regna acquirere, quam servare sua nitantur, eosq; ab instituto quo desistãt hortatur.

VI.

VENETI TURCO.

NEc Peloponnesus, nec Chalcis jampridem bello amissâ nos ab oppugnatione deterrent, quas non virtute militum, nec viribus expugnatas, sed factâ

nostrorum deditione in potestatem redegisti. Nos tamen qui non armis perfidiam, sed victoriam, quærimus omnia tuis infesta terrâ „ mariq; reddidimus. Nihil enim ad „ generosi principis animum virtu„ tis accedit, qui non jure belli captas „ urbes, sed insidiis proditas, in di„ tionem accepit.

NOTÆ.

EXpugnatâ *Constantinopoli*, captisq; aliis locis & urbibus plurimis, antequam Asiaticam expeditionem suscepisset Maumetes, Peloponnesum ingressus, Palæologorum principarum Thomâ & Demetrio patribus inter se dissidentibus, quorum hic ad hostem transierat, ille perditis rebus Romam contenderat sustulit. Cum autem Veneti Hexamili murum ad Istmum Corinthiacum reparassent, Mahumetes irruptione in Peloponnesum improvisâ, cum octaginta millibus hominum

facta,

factâ, agris Coroneis Methoneisq; devastatis, Venetos magna strage concidit, deinde reliquâ Peloponneso in ditionem acceptâ totum murum demolitus est. Paulò post factâ Christianorum strage, ob Venetæ classis præfecti inertiam & timiditatem expugnata fuit, qua in urbe, Tyranni edicto omnes qui vicesimum annum superassent horribili sævitiâ trucidati sunt. Hanc itaq; cladem cum Venetis exprobrasset, & à suis ut inceptis desisterent monuisset, sententiam hac Epistolâ suam declararunt, prosperosq; ejus successus non virtuti hostilium armorum, sed deditioni suorum asscripserunt.

VII.

TURCUS AMAZONIIS.

SI pro tuenda civium libertate bellum Amazonij adversum me susciperetis, non tàm vos ipsos hostes existimarem, quàm egregios cives pro patria, liberis ac

„ parentibus arma suscepisse. Sed
„ nulla ratione persuaderi valemus,
„ eos nunc virorum imperia rectusa-
„ re, qnos olim regna fœminarum
„ tàm diu pertulisse audio.

NOTÆ.

QUale Amazonum imperium, unde nomen sortitæ fuerint Amazones; quas res præclare gesserint quomodoq; tandem extinctæ fuerint, præter alios magni nominis scriptores, videatur apud Justinum lib. 1. licet Strabo contra tot clarissimorum scriptorum authoritatem omnia fabulosa esse judicaverit. Exprobrat autem Turcus tale Amazoniis imperium, quod, cum viri fœmineo quondam sub jugo vixerint, virorum jam ferre imperium minimè recusandum esse.

VIII.

AMAZONII TURCO.

AMazonidum regna, quæ nobis ad contumeliam objicere videris

videris nos minimè aliis parere hortantur. Turpissimum quippe ducimus viros fœminarum virtute superari. Eos igitur invictos armis & principatu dignissimos arbitrare, apud quos etiam mulieres imperare didicerunt.

NOTÆ.

DE Amazonum Imperio quæ à scriptoribus traduntur, admiratione non indigna videntur. Scitè igitur Amazonij Turci scomma per inversionem eludunt. Etsi verò non unius generis fuisse dicuntur: Temescyra tamen & Pentheſilea maximè celebrantur. Temescyrum dicitur illa condidisse eique suo de nomine imposuisse nomen: de altera noti sunt versus Virgiliani lib. 1. Æneid.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis «
Pentheſilea furens, mediisq; in millibo ardet. «

Mulieres verò illas bellatrices Mavortias ab Achille & Hercule tandem vi-

ctas & extinctas fuisse affirmavit Servius.

IX.

TURCUS ATHENIENSIBUS.

„GYmnasia vestra Athenienses, „quibus florentissimam Rem- „ pub. eximiasq; Philosophiæ „laudes assecuti estis, nos maximè „hortari videbantur, ut urbi vestræ „ignosceremus, cùm propter majo- „rùm sapientiam & dignitatem, „tum etiam ob studia bonarum ar- „tium, quas simul inventas Athenis „& perfectas accepimus. Sed cum vestrum semper in me odium considero, beneficiis quidem vos potius irritare quàm ad gratiàm mihi promptiores reddere videor. Idcirco agros Eleusinæ late incendio depopulati, à Pireo ad Megaras in prædam militum divisimus: mox urbem etiam pari fato direpturi.

NOTÆ.

ATheniensesMinervæ imaginem in arce collacatã habuisse eamq; perpetuò præ aliis Diis coluisse, nemini est obscurum. Hinc etiam Urbi huic clarissimæ, à barbaro & immanissimo hoste, tale encomium attribuitur, quod artes ingenuas & liberales omnes non solum invenerit sed etiam perfecerit. Tyrannorum autem hic animi videre est impotentiam; qui licet optimarum artium &disciplinarum præstantiam intelligant, nihilominus illarum dignitate nihil moveantur, sed, acerrimo affectuum pravorum impetu, in eas abripiantur & grassentur. Huc referenda est elegantissima de Accipitre & Luscinia fabula apud Hesiodum, quæ licet canendi arte prædita fuerit excellentissimâ, miserè tamen ab illo occisa & devorata dicitur.

X.

ATHENIENSES TURCO.

NOn odio adversum te in timore

„more (quid enim salvâ nobis li-
„bertate dulcius esse potest?) sed
„prò patria, liberis ac parentibus,
„quibus omnia debêtur, arma sum-
„psimus. Nec tecum hostiliter agere
„videmur si nostra defendimus,
„cum tu aliena oppugnes. Sed quid
„te maximè deceat, respicere opor-
„tet, non quid ipsi deliquerimus.
„Ignovit Sylla Athenis, bis etiam
„Alexander veniâ dignatus est. Quæ
verò tua victoria dici potest, si nos
belli præmium perdideris? Debes
igitur nos potius in exemplum
pietatis servare, quo tibi facilè o-
mnium animos ad gratiam conci-
liabis, quàm crudelitatem, libidi-
nem, & furorem in captos osten-
dere, quibus Græcos adversum te
odio concitabis. Nos tamen, qui-
bus nulla ulterius belli fiducia est,
nisi

nili venia dignaberis, extrema fortiter audebimus. Quid enim pulchrius est aut in rebus humanis jucundius, quàm egregios cives, pro salute omnium, sese intrepidos morti exponere?

NOTÆ.

UTriusq; Minervæ, tàm armatæ, quã togatæ gloriâ, illustres fuisse Athenienses, hac quoq; insigni ostenditur F. Quantus enim sapientiæ splendor in eo elucet, dum se pro patriæ libertate, non hostili more, contra aliena appetentem, arma capere ostendunt? Quantus, dum clementiæ exempla in Alexandro Magno, in Sylla, Urbi ob Minervæ cultum parcentibus, objiciunt, quibus illum, ut suam potius dignitatem, quàm delictum aliquod respiciat, à proposito avocare conantur! Quanta etiam pristinæ virtutis animiq; celsitudinis vis in eo apparet, dum, si horum excellentissimorum Imperatorum exemplis

ad clementiam flecti nequeat, se pro patriæ libertate extrema omnia subituros præ se ferunt! Miltiadis enim virtus contra Darium: Themistoclis consilia & felicitas contra Xerxem, in animis virorum & sapientissimorum & fortissimorum, altius radices egerant. Cum verò ita cum humanis rebus comparatum sit, ut nihil ab omni parte sit perpetuò beatum, hanc quoq; fortunæ aleam à tyranno truculentissimo, Athenienses experti fuerunt.

CENTURIÆ

Castrensium Epistolarum,

DECIMA CORONA.

I.

BAJAZETES TURCARUM Imp: Selymo filio.

Miror te in Europam antè sedatum Techellis & Persarum bellum transisse, quodq; privato consilio adversus pugnacissimam Hungarorum gentem difficile bellum inceperis. Meminisse autem debebas quanto cum periculo nos superioribus temporibus ea bella gessimus, Mahometisq; exemplo commoveri debebas, qui infeliciter Pannoniorum arma læpe expertus est. Proinde

„ inde commodiorem rerum occa-
„ sionem operiri optimum fuerit, ut
„ majore adeoq; tutiore consilio &
„ majoribus viribus id bellum con-
„ ficere & certa cum spe victoriæ ge-
„ rere possis. Pecuniam, tela, comme-
atus vestesq; tibi offerri mandavi-
mus, ut quibuscunq; rerum even-
tibus omnia usui necessaria tibi ex-
ercituiq; præsto essent. Multa co-
ràm per legatos nostros intelliges.

NOTÆ.

DE Mahumete primò Turcarum in imperio orientali Imperatore, dicta sunt nonnulla in superioribus. Quod verò ad primam Turcarum attinet originem, constat ex Septentrione à Caucasi regionibus primùm in Asiam irrupisse. Primus Turcarum Dominus dictus fuit Zadocus, qui brevi tempore incredibili rerum successu, majori Asiæ parte sibi bello subjectâ, regni Turcici fundamenta jecit. Secundus fuit Dogrissa

grissa Zadoci filius: III. Argasales: IV. Melecles: Melecli successit filius Belchiarocus, quo mortuo cum frater imperium esset occupaturus, Suldanorum conspiratione oppressus interijt. Suldanis verò de Imperatore dissentientibus Turcicum regnum distractum est, quorum pars maxima ad Alodinum Turciæ Suldanum, alij ad regni Assyriæ Suldanos se contulerunt. Vide Carionem lib. 4. Regiam verò dignitatem cum Othomannus primus, anno C. 1302. meruisse dicatur, mortuo eo anno 1327. successit Orchanes, cui anno 31. defuncto substituitur Amurathes primus, qui in Europam primus classe trajecit, & anno regni 31. in castris à Christiano quodam interfectus fuit, cum maxima bella 37. in Asia & Europa gessisset & in nullo victus succubuisset.

Huic filius Bajazethes anno C. 1389. successit, qui à Tamerlane vivus captus & caveæ inclusus, omni spe impetrandæ libertatis amissâ sibimet ipsi mortem conscivit. Solymannus I. Turca-

rum

rum Rex quintus, anno regni primo occiditur à subditis, anno 1410. Huic Musa, ab aliis Moses appellatur Zelebis frater, Rex Tartarum sextus successit, qui anno tertio à fratre Mahumeto captus illiusq; jussu strangulatus est. Septimus itaq; Turcarum Rex fuit Mahumetes primus. Hunc anno regni tertio secutus est filius Amurathes 2, Turcarum Rex octavus, A. C. 1421. Huic anno regni 30 C. 1451. vel ut alij, 1450. defuncto, surrogatus est Mahumetes 2. primus Orientis Imperator, qui anno C. 1453. Constantinopolin, Romanorum Imperatorum in Oriente sedem, occupavit. Huic colicis doloribus extincto anno C. 1481. successit Bajazethes 2. Imperator orientis secundus, qui hasce ad filium dedit literas quibus Selymus respondit & facti sui rationem reddidit. Ab hoc verò tandem anno C. 1512. imperio & vita spoliatus est.

II.

SELYMUS OTHOMANNUS

Bajazethi Patri S. D.

Nihil

Nihil est quod tantoperè mireris me ex Asia properè discessse, cum Achmetis injuriis excitato, contumeliisq; affecto, in Europam mihi transeundum fuerit. Quærenda mihi fuerat amplior præfectura, pro angusta, sterili, spectante ad Hiberos & Colchos inter saxa montium. Quod autem Hungaros insuperabiles bello minimè lacessendos dicis, velim putes, me non esse ejus animi ut ullis periculis aut difficultatibus deterrear; quanto antiqua illa mutata sunt, mutatis regibus, & non labante modo sed ferè eversâ disciplinâ? Uladislaus dispar ingenio virtuteq; Matthiæ fortissimo successit, nec mortem aut belli communes casus ab ineunte ætate timere didicit. Forti enim animo & «

hono-

» honesta petenti audentiq; neque
» Deos neq; homines defuturos cre-
» dam, decrevi pro tuenda dignitate
» mea quam in nimia fratrum po-
» tentia confregisti, aut in acie non
» indecoram mortem oppetere, aut
» propagare imperij fines, ne omni-
» nò postremo loco natus, in domo
» Othomannica postremus quoque
» virtute & gloriâ videat. Quod au-
tem ad munera amplissima perti-
net, ago tibi gratias quam majores
possum. Vale».

NOTÆ.

SElymo duo fratres fuere Achmetes (alij legunt Acometes vel Achome-tes) & Corchates, quorum utrumq; po-stea strangulavit. A priore injuriâ se af-fectum in Europam trajecisse hac affir-mat Epistola. Hungarorum sub Joanne Hunniade & Matthia virtutem in Ula-dislao extenuat; sui verò animi fortitu-

dinem

dinem & spiritus magnanimos patri jactitat. Joannes Hunniades invicti animi robur successu sæpe felicissimo ostendit. Anno enim Chr: 1442. cum duce Mesite Bego Turcarum 20000. occiderat; 30000. A.C. 1443. 30000. Mahumetem Belgradum 150000. hominum obsidentem A. C. 1456. ab urbe ejectum profligavit. Quomodo Matthias Hunniadis filius, cum fratre Ladislao ad supplicium ductus, servatus autem & carceri inclusus ad regnum tandem pervenerit, singulari cum affectu enarrat Æneas Sylvius in Bohemia. Vide Bucholzerum in Indice Chronologico.

Anno verò C. 1485. execrabili fame Viennam expugnavit Ungariæ Rex Matthias, Glocovium A. C. 1488. Hic Matthias Turcarum appellatus terror, Viennæ obijt A. C. 1490. ætat: 47. regni 33. cui Bohemarum Rex, Casimiri Poloniæ Regis filius Uladislaus 2. cujus virtutem in hac Epistola extenuat Selymus, successit.

III.

SELYMUS OTHOMANNUS
Bajazeti Patri Imper.

CUm ad remotissima loca procul abfuissem pietateq; summâ complexum tuum maximè exoptem ante quàm Trapezuntum petam, te invisere mihi gratissimum fuerit, eoquè magis quod exactâ & præcipiti ætate facilè futurum sit ut nunquam fortè te videam. Pertinet etiam ad quietem Asiæ, mutuamq; fratrum concordiam, si apud te Patrem communem arbitrum & disceptatorē proponantur controversiæ, quæ mihi cum Achmete intercedunt, nec tuto servorum fidei committi „ possunt. Tu pro tua prudentia di- „ em locumq; colloquio statues, nec „ grave duxeris me saltem tibi manus

nus osculari; quod tenuibus & vi- «
lioribus amicis, nedum liberis, «
majores tribuere consueverunt. «
Hoc ut mihi condones te etiam
atq; etiam rogo. Vale. In castris ad
Adrianopolim.

NOTÆ.

SElymus hac Epistola eum in finem patris colloquium affectat, ut litibus inter se & Achmetem fratrem, authoritate & arbitrio ipsius compositis regno Othomannico tanto major securitas constitueretur. Etsi autem variis adductis rationibus id patri persuadere conatus fuit: eum tamen, cum suspicax «
admodum sit tyrannis, nihil efficere «
potuisse, ex sequenti apparet Epistola.

IV.

BAJAZETES TURCARUM Imp. Selymo filio.

NOn possum non magnoperè audaciam tuam reprehende-

re, quod alienam provinciam, introductis copiis occupaveris, quod armatus colloquium postulaveris; deniq; quod humanitate nostrâ & patientiâ tàm insolenter abusus fueris. „ Non est quicquam pacis „ concordiæq; expectandum ab eo, „ qui externo comitatu circundatus, „ injussu Patris bellum moliatur, & „ fidelissimas Othomannico nomi- „ ni gentes effusè populetur. Proinde scias te recte facturum, si Thraciâ Europaq; excesseris & dimisso exercitu in Pontum provinciam tuam revertaris. Id si feceris aliquò tibi usui esse poterit. Sin in incepto perstiteris, velim tibi persuadeas te mihi non filium sed hostem futurum, nec defuturos qui tantam audaciam summæ proximam perfidiæ, statim ulciscantur.

NO-

NOTÆ.

CUm Bajazeti patri filij audacia esset suspecta graviter illum additis etiam minis hac Epistola objurgat. Hanc verò suspicionem falsam non prorsus fuisse eventus postea ostendit. Anno enim C. 1512. Selymus illum, post annum ab inita gubernatione, in fugam conjectum vi regno & vitâ veneno privavit, duosq; fratres Corchutem & Achmetem unà cum filiis ipsorum interfecit.

V.

ISMAEL SOPHI PERSARUM Rex Selymo Turcarum Regi.

CUm nulli dubium esse possit, Armeniam mihi deberi, nullisq; temporibus ea provincia Othomannicis Regibus cesserit, miror sanè cur hoc regnum invaseris. Quod si fortè antiquæ virtutis æmulus, imitatus Alexandrum Macedonem, tantum soli

terrarumq; jure tuum futurum, existimas, quantum tibi promotis armis victoria fortunaq; peperit, pares te in crastinum diem, tuas atq; alienas vires periclitari.

NOTÆ.

QUa ratione Ismael Sophi cum Techelle Usumcassanis genus extirpaverit; quomodo Persarum regnum occupaverit: quale ipsi bellum cum Bajazete Selymi patre fuerit, præter cæteros insignes rerum Turcicarum scriptores videre est apud Carionem lib. 5. Cum verò Selymo post fratrum Achmetis & Corchutis internecionem, filij Achmetis restabant, qui de patris interitu edocti, fugâ sibi consulendum putabant, cum Amurathes ad Ismaelem Sophum confugisset, Alodinus vero ad Camsonem Gaurium, Ægypti Suldanum se contulisset, Amurathesq; Persicis auxiliis instructus, Ismaele paulatim subsequente in Cappadociam irruisset, Selymus maximâ celeritate usus illum

illum perlequi constituit. Postquam itaq; intra Armeniam minorem & Aladuli fines continuis itineribus progressus, tandemq; ad Zalderanos campos majoris Armeniæ penetrasset, hasce Ismael Sophi ad Selymum dedit literas ad quas quid responderit Selymus ex sequentibus constabit.

VI.

SELYMUS TURCARUM IMP. Ismaeli Persarum Regi.

QUid est quod te belli hujus mirari dicas, cum adhuc extet recentissima memoria, quâ Mahometes, Cassemus patruus, Bajazetes pater, egoq; dum fratris Achmetis armis oppugnor à Persis summa detrimenta & insignes contumelias accepimus. Ea tamen, etsi magna & gravissima sunt, dignas belli causas non judico. Unum tantum abs te peto, A-

marathem tratris filium, hostem meum & Cappadociæ prædatorem: quam si ex æquo amiceq; mihi tradideris, ut mutua inter nos pro tuendis firmandisq; imperiis jura postulant, polliceor tibi in meque recipio fore, ut copias hinc abducam in meaq; regna revertar. Si verò facere neglexeris, ferro igneq; Armeniam Persidemq; me vastaturum scias. Quod autem ad pugnam pertinet, nihil est quod copiis nostris accedere gratius possit, quàm virium utriusq; periculum quamprimùm fieri.

NOTÆ.

PLato summus ille Philosophus inter alias sententias prorsus divinas, hãc quoq; posteritati consecravit, quà asserit: Homines ex humana carne gustatâ (quod in Selymo res ipsa etiam declaravit) lupinam naturam induere, & imprimis

imprimis si cognatus sanguis hauriatur, ex quo Erinnyes parricidiorum ultrices in corde nascantur. Postquam enim Selymus patre Bajazete veneno sublato, ingenij Othomannica consuetudine rabiem in fratres defunctorumq; fratrum quinq; filios, egregiæ indolis adolescentulos exercuisset, licet in Christianos totis viribus expeditionem meditatus fuisset, Amurathi tamen causa eam ab Europa quam terrà mariq; aggressurus erat, avertit. Quâ conditione verò exercitum ab Armenia esset abducturus ex hac constat Epistola. Quia verò morem ei gerere Ismael recusaret, prælium inter Turcas & Persas commissum fuit admodum cruentum, quod incertâ direptum est victoriâ. De centum enim & quinquaginta armatorum millibus, quos Selymus in aciem produxerat, supra triginta millia hominum, cum Europæi equitatus præfecto, cum flore & robore exercitus desiderarit. Cum tamen Ismael vulneratus sclopeti ictu in humero sub-

limi ex acie discessisset, eumq; Persicus exercitus secutus fuisset, Selymo concessit victoriam. Commissum autem fuit hoc prælium A. C. 1514. in Campis Zalderanis vel Calderanis ad Choim.

VII.

TURCUS PANNONIIS.

VIrtutem vestram Pannonij, etsi bello maximam sæpe declarastis: plus tamen vobis incommodi attulisse, quàm boni
» quicquam, usu didicistis. His verò
» qui majores viribus animos ge-
» runt semper obfuit temeritas.

NOTÆ.

UNgariam, gentem bellicosissimam ab hostis potentissimi invictissimiq; irruptionibus multoties oppugnatam sed nondum penitus expugnatam fuisse non tantum majorum monumenta, sed etiam adhuc spirantia, nostri seculi declarant pericula. Verè itaq; hostis Pannoniorum virtutem ut maxi-

maximam prædicat: temeritatis autem quasi viribus majora aggrediantur ex libidine potius quam ex verò illos insimulat. Romani enim imperij totiusque Christianorum orbis firmissimum illos adversus hostem immanissimum semper propugnaculum fuisse experientia teste historiæ ipsæ loquuntur. Deum itaq; ter optimum maximum ut hujus propugnaculi robur ac virtutem contra sævitiem ac barbariem truculentissimam perpetuò tueatur ac conservet, votis devotissimis precibusq; ardentissimis veneremur atq; rogemus.

VIII.

PANNONII TURCO.

NEc belli à te consilium nec armorum quibus oppugnamur, rationem ab hoste exigimus. Satis prudentiæ quidem gerendis rebus habere existimantur, « qui virtute animi & constantiâ « victoriam

„ victoriam sibi cum laude pepe-
„ rerunt.

NOTÆ.

MAscula Pannoniorum ad Turci literas responsio, quâ curiositatis & temeritatis insimulatæ culpam à se removent, ac se neque hostis consilia neq; armorum rationem magni facere ostendunt. Bellicam verò talem sibi attribuunt prudentiam, quæ non tàm animi invicti magnitudine quàm egregiâ virtute ac constantiâ nitatur, quarum beneficio tot sibi victorias ac triumphos acquisiverint.

IX.

TURCUS SOLYMANNUS REGI Ferdinando.

EGregias laudes tuas & invicti animi magnitudinem ac rerum gestarum gloriam libenter accipio: qui cum toties hostes bello profligaveris, eâ ratione vicisti, ut victis possis ignoscere: nec ut

justis-

justissimam ultionis iram hostis publicus; verùm animi clementiam quivis in te experiretur. Fortunâ quippe adversâ, te semper invictum præstitisti, nec in secundis rebus elatum. Hæc ideò de te libenter commemoravimus quomodo sæpe etiam virtus in hoste laudatur.

NOTÆ.

QUod de Medea eleganter canit Poeta:

Video meliora proboq; Deteriora sequor:

Idem nobis Solymannus tyrannus repræsentare videtur Turcicus, qui in Ferdinando clementiæ, pectorisq; in utraquè fortuna benè præparati laudem egregiè commendat, contrarium verò insolenti & immoderata tyrannide in effectum perducit. Maximam vim itaq; virtutis esse constat, cum hostem ipsum in sui admirationem abripiat. Etsi autem Ferdinandus primus Romano-

rum

rum Rex 34. Imperator 6. annorum, laudatissimus, pacis semper potius quã armorum fuit studiosissimus: contra Turcicas tamen in Pannoniam irruptiones, expeditiones illi necessariò suscipiendæ fuerunt gravissimæ, in quibus si non pari successu, virtute tamen & invicti animi moderatione & robore se fortissimum præstitit, unde etiam ab ipso hoste eximiam laudem ac gloriam assecutus fuit; quod inter mortales non in postremis habendum.

X.

REX FERDINANDUS TURCO.

„ ETsi plurimum esse ducimus
„ aliquo insigni merito ab hoste
„ laudari, quod eorum verius
„ probamur testimonio, & amico-
„ rum judicio sæpe fallimur: nos ta-
„ men verbis non tam gloriæ volu-
„ ptatem quærimus, quàm ut pro-
„ priam ex rebus gestis laudem as-
„ sequamur. Hoc verò libentissimè

ani-

amplector, eum tibi me videri, « quem simul hostes ob virtutem « admirari, & cives ob justitiam co- « lere possint. «

NOTÆ.

FErdinandum, Philippi Hispaniæ R. filium Caroli V. Imperatoris R. fratrem, Lodovico Ungariæ Rege, cum 19000. Christianorum, anno 1526. à Turcis occiso, anno subsequente Bohemiæ & Ungariæ R. constitutum: Anno 1531. Regem Rom: Coloniæ designatum & Aquisgrani coronatum: tandem Imperij diademate à fratre Carolo depositio Anno 1558. Imperatorem Francofurti Romanorum electum & confirmatum fuisse ex Historicorum monumentis constat.

Quomodo verò sub imperio ipsius Pacifico res Romana vires receperit: quomodo Passaviensis beneficio pacificationis orbi Christiano Pax restituta fuerit: quomodo literis & consiliis togatâq; virtute plus boni Reipub. quàm

alij

alij armatâ præstiterit, nemini est obscurum. Gratâ igitur posteritas in numero felicissimorum Regum atq; Imperatorum laudatissimum principem habendum esse meritò existimabit, quem non solum omnes boni atq; subditi ob egregiam sanctimoniam & justitiam Venerati, sed etiam hostes ipsi ob animi in utraq; fortuna fortitudinem, moderationé & clementiam admirati fuerint. Hanc igitur laudem animo ab hoste oblatam accepit æquissimo, dum »in ea plus candoris esse quam in illa, »quæ ab aulicis speciem quandam amicitiæ ut plurimum fictam præ se feren»tibus, exhibetur, sibi persuasum habue»rit. De Solymanni rebus gestis, reliquo- sarũ Turcarum bellis, ipsi Historicorum fontes adeundi sunt; cum digito saltem ea monstrari non sufficiat. Deum verò Opt. Max. pacis & armorum moderatorem, ardentibus votis suppliices oremus & veneremur, ut in nominis sui gloriam, Ecclesiæ ac Reipub. salutem patriæ totiq; Germaniæ tandem tranquillitatem

quillitatem & Haleyonia reducat bellúmque omniaq; ei annexa ultra Solis atq; temporum metas abjiciat, suosq; perpetuâ prosperitate felicissimos reddat.

KYRIE

ΣΩΣΟΝ ΥΜΑΣ ΑΠΟΛΛΥΜΕΘΑ.

INtempestâ nocte agitar per cærula ponti
Parva ratis: turbant ex omni parte procellæ, (lutis.
Nec mihi nec cuiquam spes est super ulla salJamq; adeò rapidus vortex simul hausérit (omnes,
Ni nos Christe juves nobisq; expergitus adsis.
Tu potes Oceani sævos compescere fluctus:
Tu potes undisonos boreæ sedare furores,
Sive velis verbo, nutúve vel indice dextro.
Nos contra devincta cohors tibi tot benefactis
Ex animo verèq; sumus servire parati.

JOANNES CASELIUS.

CENTURIÆ
Castrensium Epistolarum,
Authorum Index.

A.

AEtius patricius Theodorico Regi, Coronæ 5. Epist. 7.
Aetius Patricius Consulibus Romanis C. 5. Epist. 8.
Alaricus Gothorum R. Honorio Imperat. C. 6. E. 3.
Amalsuentha Athalarico filio Gothorum Regi, C. 6. E. 4.
Alexander Jovis Ammonis fil: Olympiadi mat. C. 2. E. 6.
Alexander Dario Regi, C. 2. E. 8.
Alexander Rex Dario Persarum Regi, C. 2. Ep. 10.
Amazonij Turco, C. 10. E. 4.
Apollonius Sardianis, C. 1. E. 2.
Aristagoras Cleomeni Lacedæ: R. C. 1. E. 10.
Augustus Cajo Nepoti, C. 5. E 2.
Aurelianus Dux Carolo VIII. Gallorum R. C. 8. E. 9.

Athe-

Athenienses Alexandro Macedoni C. 2. E. 3.
Athenienses Turco, C. 9. Ep. 10.

B.

Bajazethes Turcarum Imp. Selymo fil. C. 10. Ep. 4.
Bajazethes Turc. Imper. Selymo F. C. 10. Ep. 8.
Balduinus, 2. R. Hierosol. Calixto Pont. R. C. 8. E. 3.
Beda sacerdos Carolo Metello Gall. R. C. 7. E. 4.
Bellisarius Justiniano Imper. C. 6. Ep. 6.
Bellisarius Totilæ, C. 6. Ep. 9.
Boemundus Rogerio Nortmanno fratri, C. 7. E. 8. 9.
Brutus Rhodiis, C. 4. E. 7.
Brutus Cois, C. 4. E. 9.
Bostanes & Hanno Carthag. Hannibali, C. 3. Ep. 7.

C.

Cajus Pontius Samnit. Imp. Herennto Patri, C. 3. E. 6.
Cajus Fabricius & Æm: Consules Pyrrho R. C. 3. Ep. 4.
Capuani S. P. Q. R. C. 4. Ep. 5.
Carolus Martellus Eud. Aquit. Duc. C. 7. Epist. 5.

Carolus Galliæ R. Petro Arrago: R. C. 8. E. 7.
Carolus 8. Gallor. R. Aureliano Duci, C. 8. E. 10.
Clemens 3, Pont. Rom, Isaco Const. Imper. C. 8. E. 6.
Coi Bruto, C. 4. Ep. 10.

D.

Darius Persar: R. Indathyrso Scyt. C. 1. E. 6.
Datis Persa Delijs, ib. Ep. 8.
Diogenes Legatus Justin. Imp. C. 6. E. 8.

F.

Falisci S. P. Q. R. C. 3. Ep. 3.
Ferdinandus Turco, C. 10. E. 10.
Francorum Rex Totilæ, C. 6. E. 10.

G.

Galla Placidia Honorio & Theodosio Juniori, C. 5. E. 5.
Godefridus Bilionæus Boemundo Antiochiæ R. C. 8. E. 1.

H.

Harpapus Medus, Cyro Persæ, C. 1. E. 1.
Honorius Rom. Imp. Stiliconi, C. 5. epist. 4.
Hormista Pont. Rom. Justino Imp. C. 6. E. 2.

I.

Indathyrsus Dario, C. 1. epist. 7.

Ismael

Ismael Sophi Pers. R. Selymo Turca. R. C. 10. epist. 5.
Julius Cæsar Imp. M. T. Cicer. C. 5. ep. 1.
Justinianus Imp. Theodato Gothorum Reg. C. 6. ep. 5.

L.

Lacedæmonij Athenienſibus, C. 2. ep. 2.

M.

Mardonius Persa Athenienſibus, C. 2. ep. 1.
Marcus Furius Camillus Faliſcis, C. 3. ep. 2.
Marcellus Conſul S. P. Q. R. C. 3. ep. 8.
Marcellus F. Camillus Dictator S. P. Q. R. C. 4. ep. 4.

N.

Narſes Dux Juſtiniano Imp. C. 7. epiſt. 1.
Narſes Juſtiniano, ib. epiſt. 2.
Narſes Alboino Longobardor. R. C. 7. E. 3.

O.

Otanes Perſa Phædymæ filiæ, C. 1. ep. 5.
Olympias Alexandro Macedoni filio, C. 2. epiſt. 7.

P.

Pannonij Turco, C. 10. epiſt. 8.
Phocenſes Theſſalis, C. 2. epiſt. 5.
Priſcus Theodoſio Juniori Imp. C. 5. ep. 6.
Pelagius Pont. Rem. Juſt. Imp. C. 6. epiſt. 7.

Pipinus Frauc. R. Stephano 2. Pont. Rom. C. 7. epist. 7.
Petrus Arragoniæ R. Carolo Gal. R. C. 8. E. 8.
Pontifex Romanus Turco, C. 9. epist. 10.

Q.

Quintus Fab. Maximus Magister equitum. C. 3. epist. 5.

R.

R. Mater Dario filio Regi, C. 2. epist. 9.
Rhodij M. Bruto, C. 4. epist. 8.

S.

Saladinus Isaco Constant. Imp. C. 8. ep. 4.
Saladinus Isaco Canstant. Imp. ibid.
Scipio Syphaci Regi, C. 3. epist. 10.
Scipio Micipsæ Numidiæ R. C. 4. epist. 6.
Selymus Bajazethi patri, C. 10. epist. 2.
Selymus Bajazethi patri ibid. epist. 5.
Selymus Turca: Imper. Ismaeli Persar. R. C. 10. epist. 6.
Senatus P. Q. R. Porsenæ Etrusc. R. C. 4. e. 1.
S. P. Q. R. M. Claudio Marcello proconsuli, ibid. epist. 3.
Stephanus 2. Pontif. Rom. Pipino Franc. R. C. 7. epist. 6.
Syphax Numidarum R. Scipioni Consuli C. 3. epist. 9.

T.

Tarquinius R. Vitellis fratribus, C. 3. ep. 1.
Tancredus

Tancredus Nortmannus Rogerio patri, C. 7. epist. 10.
Tancredus Nortman. Rog pat. C. 8. epist. 2.
Themistocles Joniis, C. 1. epist. 9.
Theodoricus Ostrogot. R. Zenoni Imper. Const. C. 5. epist. 9.
Theodor. Ost. R. Zen. imp. Const. ibid. E. 10.
Theod. Ost. R. Zen. imp. C. 6. epist. 1.
Thessali Phocensibus, C. 2. epist. 4.
Theod. Italiæ R. Just. Augusto, C. 6. epist. 3.
Tomyris Massageth. Regina, Cyro Pers. R., C. 1. epist. 3.
Tomyris Cyro Persarum R. ibid. epist. 4.
Turcus Magnus Zancassano Per. R. C. 9. E. 1.
T. Pontifici Roman. ibid. epist. 3.
T. Venetis, ibid. epist. 5.
T. Amazoniis, ibid. epist. 7.
T. Athenienfibus, ibid. epist. 9.
T. Regi Ferdinando, C. 10. epist. 6.
T. Pannoniis, ibid. epist. 7.

V.

Veneti Turco, C. 9. E. 6.

Z.

Zancassanus Pers. R. Turco, C. 9. E. 2.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769099203/phys_0275
DFG

Errata.

Legendum est, p.5.v.14. ἐνδαίμων. p.14. v 12. Thalia. p. 23. v. 8. Parallelis. v 10. successit. p 26. v. 17. redactus. p.30. v.1. contudit. p.97. v.12 κλιμακτήρια. p.173. v. 5. Ægypty. p.175. v. ult. procumbenti. p.178. v. 11. Calixto. p.184. v. 1. ad se. p.191. v. 1. v. 9. p 201. Cilicia. p.212. v. 19. esset. p.223. v. 6. priora 30000. tollenda. p.240. v. 18. reliquorum. cæteris agnitis Lector candidus ignoscet.


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn769099203/phys_0280
DFG

amplector, eum tibi
quem simul hostes ob
admirari, & cives obj
lere possint.

NOTÆ.

FErdinandum, Philippi
filium Caroli V. Im
fratrem, Lodovico Ungar
19000. Christianorum,
Tureis occiso, anno subsec
miæ & Ungariæ R. constit
1531. Regem Rom: Colo
tum & Aquisgrani coro
dem Imperij diademate à
lo deposito Anno 1558. I
Francofurti Romanorun
confirmatum fuisse ex H
monumentis constat.

Quomodo verò sub ir
Pacifico res Romana vir
quomodo Passavienſis b
ficationis orbi Christianc
fuerit: quomodo literis
gatàq; virtute plus boni



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769099203/phys_0281
DFG